





105





1670

1. Schmidius, Johannes: De immisionibus.
1671.
2. Büttnerus, Daniel: De torturis et tormentis
3. Gudenus, Joannes Mauritiu: De jure retractus
- 3^a Schmidius, Johannes: De jure armorum et armamentariorum 3 Buechl.
4. Uckerman, Jacob Wilhelm: De jure et inviolabilitate Legatorum
5. Walker, Nicolaus Wilhelmus: De statu.

1672

1. Raeverus, Joannes Andreas: Prohibitionem rerum ecclesiarum licentiam alienationum . . . publicae acquisitioni subiect
2. Schmidius, Joannes: De jure et re
3. Büttnerus, Daniel: [Titel u. Bogen A fehlen]

1673

1. Suerfeldius, Joannes Henricus: De tituli praesumptione

2. Gudenus, Iohannes Mauritius : Dissertationis ad jus publicum

3. Mattheus, Christianus Wilhelmus : De maiestate jura ac
jura fidelium territorii.

1674.

Gudenus, Iohannes Mauritius : De fatalibus appella-
tionibus

1675.

1. Quersfeldius, Iohannes Mauritius : De titulo invalido con-
nati solenni

2. Quersfeldius, Iohannes Mauritius : De titulo invalido.


3. Kraut, Michael Mauritius : De jure pertinentiarum

1676.

Putloff, Christianus : De archivorum publicarum
origine, usu et auctoritate

105





1671 5
8
7
i
DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

STATU

Quam

AUTHORE DEO

Ex

DECRETO MAGNIFICI NOBILIS-
SIMI ac CELEBERRIMI JCTORUM ORDINIS

IN

ILLUSTRISSIMA ac PERANTIQUA

ACADEMIA ad HIERAM.

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORI-
BUS, PRIVILEGIIS ac IMMUNITATIBUS

DOCTORALIBUS

solenniter & ritè obtinendis

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI

EXPONIT

NICOLAUS VVILHELMUS

VVALTER,

WANERIDENSIS HASSUS.

RESPONDENTE

JOHANNE MAURITIO MEYBAUM,

CASSELLANO HASSO.

IN AUDITORIO COELICO

Horis consvetis

Ad diem $\frac{IV.}{XIV.}$ Decembris Anno M. DC. LXXI.

ERFVRTI, Typis HERTZIANIS, Acad. Typogr. 25

VIRIS MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS, PRÆ-
STRENUIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS.

DN. JOHANNI VUL-
TEIO, ICTO FAMIGERATISSI-
MO, SERENISSIMÆ ac CELSISSIMÆ PRINCIPI
ac DOMINÆ, DOMINÆ HEDWIGI SOPHIÆ,
HASSIÆ REGENTI &c. &c. &c. à CONSILIIS INTI-
MIS & CANCELLARIO EMINENTISSIMO.

DN. JOHANNI HEN-
RICO à DAUBER, ICTO EXCELLEN-
TISSIMO, SERENISSIMÆ ac CELSISSIMÆ PRINCIPI
ac DOMINÆ, DOMINÆ HEDWIGI SOPHIÆ, HASSIÆ
REGENTI &c. &c. &c. à CONSILIIS INTIMIS, DICASTERII
CASSELLANI & ACADEMIÆ MARBURGENSIS
VICECANCELLARIO GRAVISSIMO.

Moderni Regiminis Tutelaris Adsefforibus splendidi-
simis, dexterrimis.

DN. HENRICO HAXTHAU-
SEN, J.U.L. SERENISSIMÆ ac CELSISIMÆ PRIN-
CIPIS ac DOMINÆ, DOMINÆ HEDWIGIS SOPHIÆ, HAS-
SIÆ REGENTIS &c. &c. &c. CONSILIARIO LONGE MERI-
TISSIMO, NEC NON CONSISTORII CASSELLANI
SYNDICO GRAVISSIMO.

Patronis suis summis, Evergetis magnis, Mæcenatibus
omni ævo colendis, devenerandis

*In devotissima mentis argumentum, debite observantia resse-
ram, sui suorum que studiorum commendatione Dissertati-
onem hanc Inauguralem, eâ, quâ par est, reverentiâ ani-
mique submissione obsequiosissime dedicat & offert*

NICOLAUS WILHELM WALTER.



Erventium & ad sublimia adspiran-
tium, MAGNIFICI, PRÆNOBI-
LISSIMI, CONSULTISSIMI,
EXCELLENTISSIMI que VIRI,
hic solet esse mos, ut eorū se com-

mendent patrociniis, à quibus sibi lumen accedere
& obscurum adhuc nomen suum irradiari posse
confidunt, Viri illius in omni politiori litera-
tura exquisitissimi, Justi Lipsii memores, qui: *Am-
bio, inquit, amicitiam talium virorum & gratiam,
quos veluti sydera quadam hujus ævi habeo, & à
quibus lucem conciliare me posse scio pallenti meæ fa-
mæ.* Planè illud ipsum monitum me quoque ex-
citavit, ut & ego disputationis meæ Inauguralis pu-
blicationem, examinibus aliisque eruditionis Aca-
demicae speciminibus superatis moliens de Patro-
nis dispicerem, præsertim cum horum quoque e-
jusdem Viri summi ac prudentissimi recordarer:
*si per seculorum, inquentis, centurias i vero, consue-
tudi-*

tudinem hanc semper effloruisse deprehendo, ut politi-
oris literatura studiis consecrarei illos suorum foetu-
um literariorū deligant susceptores, quos norunt vir-
tute & gloria supra alios eminere. Non longè au-
tem ac sollicitè quærendi erant, quos cupiebam,
cum protinus Vos, VIRI MAGNIFICI & EX-
CELLENTISSIMI, mihi ex animi destinatione
dudum clienti vestro offerebamini. Nec me re-
tardabat, quod & de facie & de fama vobis MA-
GNIFICI Dn. CANCELLARIE & Dn. VICECAN-
CELLARIE incognitū me sciebam. (De te enim
PRÆNOBILISSIME Dn. HAXTHAUSEN, ta-
le quid non præsumo, cum ante hoc triennium, &
quod excurrit, Prænobilissima Tua Excellentia
liberali admodum hospitio per biduum me di-
gnaretur, tantisque cumularet beneficiis, quibus
me cum omnibus viriculis meis imparē esse spon-
te lubensque profiteor.) Non enim mirum est,
eos, qui in sublimissimo dignitatum fastigio
constituti sunt, à quam plurimis sibi ignotis taci-
ta mentis veneratione coli; quorum tamen idèò
non improbandus meo quidem iudicio ingenuus
conna-

conatus, si ad aram Numinis, quod haecenus re-
ligiosè venerati sunt, propius accedendi, suam-
que animi devotionem exterius ostentandi,
tandem faciant initium. Addebat porrò ad
fores jam vestras cum paginis hisce currenti
calcar ubique resonans de mira Vestra humani-
tate ac benevolentia erga literarum ac praefer-
tim S. Themidos alumnos fama; Hæc, inquam,
me impulerunt, ut immortalibus VVV. MA-
GNIF. PRÆNOBILISS. ac AMPLISS. EX-
CELL. nominibus has chartas consecrare de-
buerim, obsequia mea debitæque submissionis
affectum nunquam inter moriturum publica
hac nuncupatione erga Illas submissè declara-
turus. Quam deditissimi animi arrham fere-
na ut fronte VVV. MAGNIF. PRÆNOBI-
LISS. ATQVE AMPLISS. EXCELL. suscipere
dignentur, meisque studiis imposterum fa-
vere haud graventur, est quod officiosissimè
contendo, rogitò. Reciproci officii loco vo-
ta calidissima pro VVV. MAGNIF. PRÆ-
NO-

NOBILISS. ATQVE AMPLISS. EXCELL.
incolumitate ac salute perpetim fundam., at-
que ad manes usque me obstrictissimum esse
adseverabo. Valetē

Deproperabam Erfurti

die 3. Decembris

ANNO 1671.

VVV.

MAGNIF. PRÆNOBILISS.

atque AMPLISS.

EXCELL.

Obsequiosissimus & ob-
strictissimus

Nicolaus V Vilhelm V Valter.

Prefatio ad Lectorem

Exhibeo tibi, *Lector benevole*, statum, opusculum non ex juris Civilis scientiæ placitis tantum constipatum, sed & politica jurisque publici temperatum literaturam. Amavi enim semper delicias istas, quippe sine quibus jus nostrum privatum molestum mihi videbatur; neque unquam duriori huic militiae ita me obstringi passus sum, quin non excurrere liceret quandoque ad priora castra, cum stationibus juridicis essem laxatus, rediturus bona mente, cum me revolutus ordo posceret. Non moror illos de plebe ICTOS, forenses vultures, qui præter formulas & tricas nullius rei sibi sunt conscii. Quid aliud sunt, quam lenones turpissimi, qui jus nostrum ideò colunt, ut lucri causa prostituant & venalem formam exhibeant omnibus qui licitantur? in memoriam revocent, ubi desinit Politicus ibi incipere ICTUS: Leges enim non sunt tantum *νεγερὰ ἀλλ' ἠθικά*; sed ex principiis naturæ & respectu ad hanc vel illam Rempublicam interdum volunt temperari. Verum mihi non suscipiam hæc loci negotium medendi eorum errori. An helleb oro per sanari possint, medicorum cura esto. Apage interim, qui mihi vitio vertis, quod in hac disputatione quodammodo specificè & massam efficiam ex jure & politica jureque publico. Apage & respice nostrum STATVM, argumentum est desumptum ex *cit. 5. lib. 1. ff. de statu homin.* & juridicū; sed in quo jus ita cōplectitur politicā, ut nolit ab ea separari. Ecce connubium? Profanus fuisset & reus in L. Juliam: si temerasset conjunctionē hanc confarreatam & divulsisset unū ab altero. Itaque secutus geniū argumenti rectè omninò jura politicis, politica juri permiscui. Noli tamen hac vice, LECTOR, promittas tibi rara & exquisita: hæc enim tū propter angustiam temporis, tum propter penuriam quorundam librorum

rum, quibus invito mihi carendū fuit, alio tēpore bono cū Deo habebis: in præsenti enim ea tantum, quæ occurrerunt mihi in lectione Autorū omnibus penè obviorum decerpsi hinc inde & cōstipavi. Et licet multi sint, qui de hac materia mentionē hinc inde fecerint, verūm qui ad eum modum, quem ego intendi, STATVM personarū inquisiti, excusserint hæctenus vidi nullum; ergò quoad hoc neminē adeptus sum ducē, sed ipse mihi methodū eligere necesse habui. Et placuit illa quæ describitur septis & cancellis' disputationis, quæ tamē spernit leges & interdū licentiosa evagatione se effundit: interdū se constringit & quodammodo quasi in se recedit. Stylus mihi talis, qualis congruit disputandi fini, sc. veritati, quæ ābitiosioris apparatus nescia, adornari horret verbis speciosè compositis. Locutus sum planè, neque enim instrui oratorem agere & expromere divitias magnæ facultatiæ. LECTOR lege & cense; Censurā non deprecor. Hæc enim omnibus scriptis cum primum lucem adspiciunt, fatalis est & quasi conrascitur. Et quod de quolibet partu humano dicebat Antiquitas dando ei genium duplicē: id jure meritò licebit dicere de fœtibus ingenii. Quilibet sortitur genii loco censuram; Hæc non eadem est, sed mox bona, mox mala. At Brutū non terruit malus genius, atra Æthiopis specie deformis. Nec scriptor moretur nigrum obtrectatorem. Qui censores malevolos horret, ne scribat. Si invenit candidos æstimatores, in lucro deputer. Idem mihi judiciū: cum hac tamen promissione, me deinceps ansam arrepturum, hanc materiam, ut rarissimam ita, utilissimam propter materias nobilissimas concurrentes ulterius deducendi, orbique literario communicandi, si DEUS T. O. M. vitam concesserit, quod ut sanctè promitto, ita hisce benevolum LECTOREM valere jubeo. Esto jam in nomine DOMINI disputationis.

CAPUT



CAPIT I.

De

Variis vocabuli Status signifi- catibus.

§. I.



Uxta primicerium Philosophorum
ARISTOTELEM lib. 1. analyt. poster. cap. 1.
cum nemo nisi verba prius cognove-
rit, rem benè intelligat, verborum e-
nim prior, (exempla extant in §. 2. Inst.
de tutel. pr. Inst. de testam. ordin. pr. Inst. qu.
mod. re contr. obl. pr. Inst. de injur. §. 2. inst. de
obl. qua ex delict. nasc. l. 1. pr. ff. de j. & j. l. 1. §. 1. ff. de pact. l. 5. §. 3. ff.
de pecul. l. 2. §. 2. ff. de reb. cred. l. 2. ff. de sponsal. l. 1. pr. ff. de acquir. vel
amitt. poss. l. 1. pr. ff. de injur. l. 6. ff. de V. S.) rerum autem potior
ratio habenda l. 13. §. 2. vers. sed et si ff. de excus. tutor. l. 219. ff. de
V. S. quo non observato foeda nominum & rerum sequi-
tur confusio l. fin. Cod. de legit. tut. CIC. lib. 1. offic. & in Topic. §. 6.
nullaque res, nisi significatione verbi distincta, defini-
ri rectè potest, ut ait DONELL, lib. 1. Comment. jur. Civ. cap. 3.
idè operæ pretium me facturum existimo, si notatione
nominis variasque Status significationes præmittam.
Quod si quando, hic vel maximè necessarium erit, voca-
bulum

A

bulum

bulum ab æquivocatione liberare, cum dubitem, an aliam in tota latinitate vocem tam multis significatibus quasi onustam & implicatam deprehendere liceat.

§.2. Est verò usus ejus alius vulgaris, alius technicus. Quoad vulgarem illa significatio origini vocis propius accedit, qua statum sive habitum corporis passim, præsertim apud Comicos, denotat, quem Gallia posture vocant. PETRON. Satyr. p. m. III. alius, furca de carnario raptâ, statum præstantis componit. Ille apud PLAUTUM in Pseudol. act. 1. sc. 2. statum vide hominis, quasi basilicum: & TERENTIUS in Eunuch. act. 3. scen. 5. Quis esset Status? stabellulum tenere te asinum tantum. Sic hominem statu procerum APULIUS describit Metamorph. lib. 7. Ab homine ad cælum transtulit CURTIUS in elegantissima maris Caspii descriptione lib. 6. c. 7.

§.3. Deinde per statum id denotatur, quo quidq; stat, vel existit, ac firmum validumque est: quo sensu hæc vox apud CURTIUM recuperatam Alexandri valetudinem designat lib. 3. c. 6. Eodem usurpatur ab Alexandro in gravissima illa ad Legatos Persicos Oratione lib. 4. cap. II. Nec mundus duobus solibus potest regi: nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere. Atque hic significatus nec à stylo ICTORUM nostrorum alienus est. Quomodo JAVOLENUS in l. à Titio. 108. §. 1. ff. de V. O. Nulla promissio, inquit, potest consistere, quæ ex voluntate promittentis statum capit. Idem in l. 201. ff. de R. I. omnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vicio ceperint. Sic PAPINIANVS in l. insulam. 124. ff. de V. O. stipulationis statum, cujus dies certus in exordio fuit, ex post facto mutari negat. Confer. l. 9. §. 1. ff. de duob. reis stipul. & promitt.

§.4. Cæterum, ut stare aliquando idem est, ac subsistere, non ultra progredi, TACIT. lib. 4. histor. cap. 67. Sequanorum prospera acie, belli impetus stetit; Adde lib. 3. Ann. c. 72.

lat

3.
ita status quoque interdum terminum ac subsistentiam
rei significat, quo pacto maturitas ætatis, ultra quam ho-
mo non crescit, quæ ἀνμὴ Græcis dicitur, CUIACIVS,
ad rubr. ff. de minor. tom. 2. fol. 160. CICERONI constans ætas,
status appellatione venit, in l. cum pater. 77. §. 14. ff. de Legat. 2.
ubi quis ita testamento suo cavit: ut, cum ad statum suum fra-
ter pervenisset, ei demum solveretur. add. leg. pen. Cod. qv. dies leg.
ced.

§. 5. Frequentius vero pro præsentis vitæ ac fortu-
næ conditione ac fato cujusque accipitur. Apud Curti-
um prælio victum Darium his verbis alloquitur Patron,
Dux Græcorum: Rex, in hoc statu iidem sumus, qui florente te
fuimus, lib. 5. cap. 11. Et alibi ad Abdolominum eorum quis-
piam, qui autores fuerant, ut è squalore vitæ sordidæ ac
tenuis ad Sidonis regnum eveheretur: Cum in regali solio,
inquit, residebis, vitæ necisque omnium civium Dominus, cave o-
bliviscaris huius status, in quo accipis regnum, lib. 4. c. 1. Quæ qui-
dem ex infinitis sufficiant.

§. 6. Usus technicus alius est apud Theologos, ali-
us apud Politicos, alius apud Rhetores, alius apud Phy-
sicos, vid. SENEC. lib. 2. question. natur. cap. 39. alius denique
apud Ictos.

§. 7. Theologis primarii vitæ ordines Statuum ap-
pellatione veniunt, quorum tres enumerant, suisque
præceptis ac monitis è SS. literis instruunt; Ecclesiasti-
cum, den Lehr-Policum, den Wehr- & Oeconomicum,
den Wehrstand, IACOB. MARTIN. partit. Theolog. disp. 37. in
continuat.

§. 8. Apud Politicos (1) status & Respublica ferè
ἰσοδυναμῶν sunt. Hinc frequentes eorum quæstiones:
An decur status mixtus? utrum mutato statu nova fiat civitas? &c.
vid. GROT. lib. 1. de I. B. & P. c. 3. num. 17. seqq. junct. lib. 2. c. 24. n. 6.
A 2 lib. 2.

lib. 2. c. 16. num. 16. Eodemque sensu hæc vox extat apud supra aliquoties laudatum CVRTIVM *lib. 10. cap. 10. Scptimus dies erat, ex quo corpus regis jacebat in folio; curis omnium ad formandum publicum statum à tam solenni munere averfis: & SENE- CAM in Oedip. act. 4. vers. 70. non expedit concutere felicem statum.* Hinc Itatorum *ragion di stato*, de quo IOH. BOTERVS & LVDOVICVS SEPTALIVS; Gallorum *ministr. d' estat*, de quo SILHON Gallicè, PASTORIVS ab HIRTENBERG Latinè integris commentariis.

§. 9. (2) Status idem, quod Civis, hodiè præsertim in Imperio nostro, in quo statum Imperii iisdem characteribus distinguimus, quibus civem suum ARISTOT. *lib. 3. Polit. cap. 1. & 3.* vid. MICH. PICCART. *in Comment. ad b. l. p. m. 338. seqq.* HENN. ARNISÆ. *relect. Polit. de Repub. lib. 1. c. 5. sect. 9. n. 5. seqq.* Iure nempe suffragii in Comitiiis, ad quod antequam plebs Romana admissa erat, rectè querebatur ap. LIVIUM *lib. 6. c. 37 sibi nec in consortio, nec societate Reipub. esse licere*, hoc est, hæctenus sibi denegatum fuisse jus Civium Romanorum; civis enim quia socius est, cum civitas societas sit, & omnium quidem perfectissima, cuilibet socio jus dicendi sententiam de iis, quæ ad societatis statum pertineant, jure suo competere, in quo vis consistat communitatis. Conf. CHRIST. BESOLD. *lib. 1. Polit. c. 10.*

§. 10. Pari scilicet pacto status Imperii non esse intelligitur, nisi sessionem, jusque suffragii habeat in Comitiiis, daß er eine *Stimm und Stand in Reichsversamb- lungen habe.* R. A. zu Augspurg de Ann. 1500. Rubr. *Wie die Irrungen 51. §. 1. & de Ann. 1548. §. Wann auch ein außgezogener.* Atque in hoc solo à cæteris Imperii membris ac subditis, præsertim immediatis, adæquatè distinguitur, quod ipse quidem, qua talis, etiam non alii in Imperio, quam ipsi, ejusque Capitâ (ut Imperator vocatur.

tur.

105

5.

tur in Aur. Bulla Carol. IV. tit. 2. & in Recept. Imper. zu
Augsburg/ de Ann. 1566. §. und nach dem dann. 6.) ratione
certi patrimonii subdit, nec Status esse ac simul mediatus
Imperii subditus eodem respectu haberi possit, quod per
errorem quondam, offensus exemplo Ducis Würtem-
bergenfis, affirmavit IOH. LIMNÆUS, *lib. 1. de Iur. Publ. c. 7.*
num. 99. seqq. & lib. 5. cap. 16. num. 6. sed qui semetipsum, uti
solent posteriores cogitationes esse veriores, postmodum
correxit in *addit. ad d. cap. 16. n. 7.* Conf. REINKING, *lib. 1. de Reg.*
Sec. & Eccl. cl. 4. c. 1. n. 53. seqq. Dn. D. STRAVCH, *Exerc. Exoter. 10.*
thes. ult. illud tamen præ cæteris omnibus Imperii mem-
bris præcipui habeat, ut ad Comitata sive universalia, sive
particularia, publicasque Consultationes de salute &
tranquillitate Imperii admittatur, PAVRMEISTER,
lib. 1. de iurisd. cap. 6. & 8. MATTH. STEPH. *lib. 2. de iurisd. c. 4.*
n. 45. AND. GAIL. *lib. 1. obs. 21. num. 9.* REINKING, *lib. 1. de Re-*
gim. Sec. & Eccl. cl. 4. cap. 1. n. 24. seqq.

§. 11. Quapropter subscribere non possumus Lim-
næo, qui *Tom. 1. Addit. ad d. lib. 1. cap. 7. num. 96.* votum & sessi-
onem tantum pro accidentibus Status venditat, quæ sal-
vo statu adesse vel abesse possint, ex matricula autem Im-
perii præcisè æstimandum esse, quis verus Status sit. Quod
ejus fundamentum quam oppidò lubricum sit, solidè de-
monstravit Clariss. Dn. HERM. CONRING, *in dissert. de*
Civib. Imp. Germ. tb. 5. seqq.

§. 12. Ex dictis obiter colligi potest, membra qui-
dem (quamvis hoc nomen sæpè secundum excellentiam
de solis Statibus enunciatur, ut in *R. A. de Ann. 1541. pr. ibi,*
eingeleibte Glieder der Kaysert. Mayst. & de Ann. 1542. §.
und wiewohl 16. Christliche Glieder des H. Reichs) sed
non status seu Imperii Cives esse (1.) Principes, quorum

A3

vcl

vel parens adhuc præest territorio, vel qui certum inde saltem Appanagium quotannis ad sui suæque familiæ sustentationem recipit, quicquid contra putet NIC. MYLER. ab EHRENBACH, *tract. de Princ. & Statib. Imp. cap. 93.* (2.) Eos, qui citra jus suffragii ad solum titulum ac dignitatem Principum euecti vel membrum Imperii sunt, quorum plurimos à Ferdinando II. Imperatore creatos ex Autore libri, qui inscribitur, *Status particularis Regiminis Ferdin. II.* enumerat Dn. CONRING, *d. l. §. 12.* Conf. Dn. MEYER, SS, Th. D. & P. P. Helmst. *colleg. manuscr. de Notitia Imperii Germ. p. 3. c. 13.* (3.) Nobilitatem immediatam per Franconiæ, Sueviam & tractum Rheni aliosque immediatos, so dem Reich ohne Mittel/ und keinem andern Herren und Fürsten unterworffen R. A. zu Speyer de anno 1542. S. desgleichen. vid. ARVM, *tr. de Comit. cap. 4. n. 119. seqq.* BESOLD. Thes. Pract. Voc. *freye Reichs Ritterschafft. & verb. Reichsstände & tractat. de Ord. Equestr. in Imper. Roman. conclus. 5. seqq.* (4.) Non omnes in circulos relatos, cum multos ibi conspicias, qui nullo in Comitibus suffragii jure gaudeant, vid. LIMNÆ *d. c. 7. n. 36. & in Addit. ad h. l. n. 26.* Dn. STRAVCH, *Exerc. Exot. 1. §. 6.* Sed hæc de Statibus Imperii placuit disputationi nostræ inserere, ob commune vocabulum, & quod hæc ipsa quoque materia ad jus nostrum publicum pertineat. Nunc è diverticulo in viam.

§. 13. Rhetores porro statum vocant quæstionem, quæ ex primo causarum conflictu nascitur, de quo fusè tractat NIC. CAVSINVS *de Eloquentia sacra & humana lib. 12. c. 24. seqq.*

§. 14. Quæ omnia non aliter huc pertinent, quam ut ostendatur, nihil eorum, quæ hæctenus voce status significari diximus, ad institutum nostrum propriè pertinere, quibus solummodo de Statu, prout est terminus
arti

arti Iuris proprius & technicus, impræsentiarum agere mens est, non quidem, ut intra solos juris privati limites subsistamus, sed ut ea quoque, quæ juris publici hac in re propria sunt, simul excutiamus, breviter tamen omnia, ac quasi ἐν συνόψει. Quæ autem hæc status significatio juridica sit ex sequenti capite adparebit.

CAPUT II.

De

Definitione & natura Status.

§.1. Quod ait ARISTOTELES *lib. 1. Ethic. cap. 7.* δοῦναι πλεῖον ἢ τὸ ἡμισυ τὸ παντὸς εἶναι ἢ ἀρχὴ καὶ πολλὰ εὐφρανὴ γίνεσθαι δι' αὐτῆς τῶν ζητημάτων, principium plus esse, quam dimidium totius videtur, multaque in quæstione posita eo cognito declarari; & CAJUS Ictus *in l. 1. ff. de O. l. Cujusq. rei potissima pars principium:* si quando, in hac profectò materia nostra verissimum esse deprehendimus. Cum enim, monente TVLLIO, à definitione cujusque rei fieri debeat initium, hanc si rectè constituerimus, quod utique in toto hoc argumento difficillimum, non dubitandum est, quin reliqua omnia, quasi clarissimo lumine accepto, promptissimè ac facillimè quoque sint successura. Eam verò difficultatem non parum auget, quod omnes ferè Iuris interpretes hætenus de statu non nisi obiter & confusè admodum ac indistinctè tractarint, nullus certè, quod sciam, de ejus vi ac natura interiore ex solidioribus juris principiis exactè & quoad ipsum actum signatum eruenda fuerit sollicitus. Equidem quæ novissimè SAM. PUFENDORFIUS *in Elementis*, uæ vocat,

Juris

Juris universi lib. 1. def. 3. num. 6. & 8. de natura ac diversitate Status commentus est, à Romani Juris prudentia haud dubiè alienissima sunt, ac vereor, ut suæ artis magistri omnia illa sint probaturi.

§. 2. Quamvis verò nostrates, quos dixi, rem istam minus explicatè tradiderint, illorum tamen asserta quædam, quæ pro veris ac confessis agnoscimus, ante oculos nobis ponamus, non dubitantes, quin ea nos quasi manu ad fontes ac principia status constitutiva veramque ejus essentiam sint deductura. Primò ajunt, jus esse facultatem hominis moralem seu jure alicui competentem, *pr. Inst. l. 10. ff. de Inst. & Jur. MOLIN. tractat. de Instit. & Jur. disput. 1. & 2.* Secundò dicunt, hujus juris objectum proximum esse vel personas, vel res *§. ult. Inst. de I. N. G. & Civ. l. 1. ff. de Stat. bom. HAHN. ad Wesemb. d. t. num. 1.* Tertiò asserunt, juris in personam fundamentum & causam esse statum, hancque ideò juris partem à statu hominum incipere, ac nullum extra statum jus dari in personam *l. 2. ff. eod. junct. d. l. 1. Excell. Dn. STRAVCH. dissert. ad Pand. 12. apb. 1.* Quartò statuunt, ut specialem habeat causam hoc jus in personam, Statum scilicet, ita quoque specialem producere effectum quoad remedia juris illius persecutoria, quæ dicantur præjudicia & actiones præjudiciales *l. 1. §. 1. ff. de rei vind. l. 37. ff. de obl. & act. quæ cæteris actionibus ex jure circa rem descendantibus opponantur, l. b. §. 2. leg. 35. §. 2. ff. de procur. & def. l. 9. ff. de liber. caus. & ad b. tit. HAHN. p. m. 639. Dn. FELTM. tr. de Jur. in Re & ad rem. c. 7. n. 7. seqq.* Quibus omnibus cum certissimo illo Aristotelico principio collatis, quod jus seu potestatem in personam extra societatem nemo habeat, & quod hæc sit subjectum unicum & adæquatum Imperii ac subjectionis, jam non amplius veremur, hanc Status juridicè accepti definitionem extruere, quod sit qualitas personæ moralis ex relatione, quæ

9
in societate inter imperantem & obsequen-
tem est, immediatè resultans.

§.3. Hæc definitio per partes paulò prolixius ex-
plicanda, ac simul adversus ea, quæ ipsam labefacere vidē-
tur, defendenda erit. Et esse statum qualitatem perso-
næ moralem, omnes facilè concedunt, quamvis ver-
bis discrepent, ac pro *qualitate ut plurimum conditionem*,
ponant, HAHN. *ad tit. ff. de stat. hom. num. 1. p. m. 156. Magnif.*
Dn. D. STRUVE, *synt. Jur. Civ. Exercit. 3. lib. 6. à qua tamen*
voce, cum alium planè in Arte Juris significatum obtine-
at, ut ex i. ff. de cond. Inst. & de cond. & demonstr. apparet, absti-
nere, & significantiori, ex philosophia termino uti malui
cum Dn. FELTM, *d. l. c. 2. num. 3.* qui tamen in eome sibi
non habet suffraganeum, quod *titulum Inst. de jure personar.*
& titulum ff. de Stat. hom. diversos esse ibid. contendit, Conf.
Nobiliss. atque Excell. Dn. D. SCHMIDELII, Præceptoris ac Hospitis
de me optimè meriti Exeg. Schotan. Exerc. 8. pag. 153. Si enim sta-
tus hominis qualitas ejus moralis est, quod ipse supponit,
ab eo non discrepare poterit jus personæ; cum jus hoc lo-
co nihil aliud sit, quam ejusmodi qualitas, vid. GROT.
lib. 1. de I. B. & P. c. 1. v. 4. & homo heic non absolutè vel se-
cundum proprietates Physicas aut Theologicas, sed in re-
latione ad vitam civilem ac socialem consideretur, quæ
hominis qualitas personæ vocabulo, à scena & teatro ad
civilis vitæ munia translato, exprimi solet, vid. CUJAC.
ad quest. Papinian. ad l. 5 ff. de usufruct. LAVR. VALLAM, lib. 6.
Elegant. cap. 34. IVL. CÆS. SCALIG. 1. Poet. cap. 13. AVG. BVCH-
NER. ad Corn. Nep. Præfat. §. 1. Huc spectat illud CICERONIS
in Orat. pro Sylla: vehementem & acrem personam, quam mihi tem-
pus & Respublica imposuit, jam voluntas & natura ipsa detraxit.

B

Alio

Alio sensu, huic tamen homogeneo, hęc vox in *leg. 7. §. 9. ff. de Action. empt.* extat, pro figura eminenti in ædificio, quæ ore aquas fundit, eoque varios vultus exprimit, vid. JO. à WOUWERN, *animadv. in Petron. Arbit. Satyr. pag. m. 429.* Sed hoc obiter. Planè illud Dn. FELTMANNO concedamus, quod effectus posterior sit sua causa, & quod status sit causa juris in personam, non absurdè tamen existimamus dici quoque à nobis posse, ex jure personarum, perinde, ac ex statu hominum, oriri jus in personam, hocque illius certo respectu esse effectum. Quod autem ille limitatè enunciat, ex statu aliquando produci jus in personam, nos universaliter verum esse arbitramur, si non, quoad actum, saltem quoad potentiam. Qua de re deinceps.

§. 4. Quod qualitas personæ sit, etiam extra dubitationem est, nec obstat, quod servus, qui etiam in societate herili statum habet, *l. si tibi 86. §. cum servus. 2. ff. de legat. 1. l. non mutant. 11. C. de liber. caus. l. si ignorans. 3. Cod. solut. matrim.* inter res referatur, *pr. Inst. de reb. corp. & incorp.* Id enim non fit eo respectu, quo tanquam homo ratione præditus, actionumque moralium ac alicujus juris capax cum alio vivit in societate, ejusque imperio obsequitur *l. 1. pr. & §. 10. l. 2. ff. de his qui sui vel al. jur.* sed quatenus servi ex jure gentium certo pretio æstimabiles sunt, eoque nomine patrimonium augent, in commercium veniunt, vendi, permutari, legari, usucapi, deberi, vindicari possunt. Hanc qualitatem cum aliis rebus etiam inanimatis communem habet servus; cum altera illa, qua tanquam homo ratione utitur in obsequiis domino præstandis, in contractibus, acquisitionibus, delictis &c. ipsi cum cæteris homi-

19
ii
hominibus propria sit, eundemque pariter à rebus aliis
distinguat. Atqui tamen expressè negat Imperator in
§.4. *Inst. de capit. diminut.* servum habere caput, sed mortuo
similem esse l.59. §.2. ff. de cond. & demonstr. atque tum de-
mum incipere statum habere, ac novum hominem fieri,
cum manumittitur, l.4. ff. de cap. min. l.27. ff. de al. & cib. leg.
Sed respondendum, hæc omnia accipienda esse cum re-
latione ad jus civile & statum civitatis, cujus nullam com-
munionem habebant servi, sed ejus respectu perinde e-
rat, ac si non essent, quippe absoluto ac illimitato domi-
norum arbitrio ad quamvis etiam injuriarum atrocissi-
marum licentiam permissi, §.3. *Inst. de injur.* §.1. *Inst. de his qui
sui vel alien. jur.* Quare cum servus factus non tantum o-
mni jure civitatis Romanæ destitueretur, sed etiam li-
bertate ipsa, quam tamen naturæ beneficio habebat, pri-
varetur, hæc capitis, scil. civilis, diminutio meritò pro
maxima & gravissima habebatur, §.1. *Inst. l. ult. ff. de capit. di-
min.* His tamen non obstantibus in familia certè ac socie-
tate herili statum suum nihilominus habebat, ex quo
certa inter ipsum ac Dominum obligatio producebatur,
ut infra adparebit.

§.5. Qualitatem moralem esse, inde patescit,
quod consideretur ut est certorum juris effectuum pro-
ductiva, qui effectus moralis similem quoque causam ar-
guit.

§.6. Dicitur hæc qualitas resultare ex relatione, quæ
in societate est inter eos, qui imperant, & qui huic Imperio subsunt.
Quibus verbis differentia status specifica ac formalis ra-
tio continetur, quam effectus arguit. Si enim propter
statum aliquis in personam, quæ talem, jus ac potestatem

habet, & alter vi status alterius potestati est subjectus, necesse est, ut status designet talem vim, quæ parentem imperanti conciliet, & huic potentiam moralem activam imperio informandi illius actiones ad obtinendum certum finem, illi verò potentiam moralem passivam seu receptivam imperii hujus imprimat. Cujusmodi relationis & qualitatis mutuae fundamentum ac subjectum proprium aliud esse nequit, quam societas, extra quam nemo in alterum potestatem habere potest. vid. ARISTOT., *lib. 1. Polit. cap. 8. aliàs 12. GROTIUS. lib. 2. de jur. bell. ac pac. c. 7.*

§. 7. *Immediatè* denique resultare dicitur ex ista relatione hæc qualitas, ut removeantur superiores respectus, qui statum jam existentem sequuntur, adeoque extra ejus essentiam ac definitionem positi sunt. Qua ratione non adeò benè (pace illorum hæc scribere liceat) videntur mihi definivisse statum, qui ajunt esse conditionem seu qualitatem, quæ natura vel lege homini insit, per quam cogatur hoc vel illo jure uti, FELTMANN. *d. l. c. 2. n. 3.* vel conditionem civilem personarum, secundum quam cuique jus reddatur, HAHN. *in observ. ad Wesf. part. 1. p. m. 156.* Equidem ut quis particeps sit alicujus juris, ac speciatim civilis, alicujus Reipublicæ, oportet utique, ut in illa societate statum habeat. Atque ideò servi, peregrini, aut ad peregrinitatem deportatione redacti juris Romani incapaces erant. *leg. 3. ff. ne quis eum, qui in jus voc. l. 10 ff. de opt. leg. l. 26. ff. de stipul. serv. l. 32. ff. de R. I.* Pari pacto, quo ad eos, qui in generali quasi illa gentium societate statum non habent, ut subditi, latrones, piratæ, nulla Iuris Gentium propriè dicti communio pertinet. vid. ALBER. GENT. *lib. 1. de jur. bell. c. 4. & de legat. lib. 2. c. 7. seqq.*
Sed.

13.
Sed hic effectus naturam & essentiam rei non exprimit.
Adhæc status nequitiam est illa qualitas, secundum
quam jus cuique proximè redditur; alioqui enim mira
status, qui ad primum juris obiectum pertinet, cum iure
rerum oriretur confusio, quod sanè nemo pariter esse ne-
gaverit personæ conditionem seu qualitatem civilem, se-
cundum quam ius ipsi reddatur. Si quis enim dominus
est rei alicuius, quæ ab alio possidetur, vel alterum sibi ad-
dandum faciendumve obligatum habet, hæc omninò
qualitas est, secundum quam ipsi ius reddi in civitate de-
bet, & tamen cum primo iuris obiecto nihil commune
habet. Ut autem cum effectu civili dominus vel alterum
sibi obligatum habere possit, ad hoc demum necesse est,
ut civilis illius communionis particeps sit.

§ 8. Sed his obstat (1.) quod libertas etiam à ICTIS
pro statu habeatur *leg. 3. ff. de stat. hom. leg. ult. ff. de capit. min.
junct. leg. 1. ff. eod.* cum tamen libertas per se nullam e-
iusmodi contineat relationem actualem imperii & ob-
sequii. (2.) quod sub titulo ff. de statu hominum multæ
referantur personarum qualitates ac distinctiones, quæ
ipsæ etiam eiusmodi respectum minimè involvant; in
lege enim 9. & seq. à sexu dividuntur in mares, foeminas,
hermaphroditos, quos temerè quidam veterum pro
monstris habuerunt, ut colligere licet ex iis, quæ extant
apud *PLIN. lib. 7. histor. natur. cap. 3. GELL. noct. attic. cap. 4.*
rectè dissentientibus ICTIS, quod figurā certè rationemq;
humanam habeant, *leg. 14. ff. de statu homin. vid. PAUL. ZA-
CHIAE, lib. 2. 22. Medico Legal. tit. 1. quest. 9. ALPH à CARAN-
ZA, de partu legit c. 17. n. 66. seqq. BAUHIN. pecul. tr. de hermaphr;
In leg. 26. in natos & nascituros.* Qua occasione interpre-
tes.

14.
tes sub hunc titulum omnes alias personarum differenti-
as, in Nobiles v.g. & ignobiles, in puberes & impuberes,
in senes & iuvenes, in pauperes & divites, &c. passim ex
aliis iuris locis colligunt, & quasi in loco proprio expli-
cant, ut patet vel ex solo Examine SCHOTANI *ad h. tit.*
Conf. supra laudatum Dn. D. SCHMIDEL. *cit. loc.*

§. 9. Respondetur ad primum (1) libertatem hoc
loco intelligi civilem, quæ à iure civitatis non re, sed ra-
tione est distincta; libertas enim dicitur in oppositione
ad servitutem, civitas vero in oppositione ad peregrini-
tatem. Atque hæc explicatio patet ex subiecta divisio-
ne liberorum in ingenuos & libertinos, quæ distinctio
olim quoad ipsum ius civitatis Romanæ aliquam diversi-
tatem inferebat sublatam ab Antonino *in leg. 17. ff. b. t. DO-*
NELL. lib. 2. c. 16. (2.) Libertas nullibi status, sed amissa
saltem libertate status amitti dicitur *dict. l. 1.* non sta-
tus libertatis, qui, veluti naturalis facultas, nullus est, sed
status tam civitatis, quam familiæ, servus enim nec civi-
tatem retinebat, nec quoad effectus iuris civilis ius fami-
liæ, Adeoque quoad capitis diminutionem seu status
mutationem nulla erat differentia inter deportationem
& servitutem, quam & causam esse existimo, cur dupli-
cis duntaxat capitis diminutionis mentionem faciat
l. 1. §. 4. ff. de suis & legit. hered. Conf. PET. FABR. *lib. 2. semestr. c. 21.*
hæc tamen, ut iam supra §. 4. innui, illâ habebatur gra-
vior, quod præter iacturam omnis status & naturalem li-
bertatem auferat, quæ salva manet deportatis.

§. 10. Ad alterum respondetur, illas personarum
distinctiones nequaquam inferre diversitatem status, sed
ea saltem ratione principaliter ibi proponi, quod ab ipsis
ferè

15.
ferè potentia receptiva status pendeat. Quo pacto se li-
cet status v.g. conjugalis ab uno latere marem, ab altero
foeminam requirit §. 1. *Inst. de patr. potest. pr. Inst. de nuptiis.*
Et mediante fictione quadam, iuris quoque civitatis RO-
manæ is particeps esse intelligitur, qui nondum natus,
sed adhuc in utero est. *l. 7. ff. b. t. vid. CUJAC. oper. postum. tom.*
1. fol. 228. ad l. pen. eod. PET. de GREVE, Exerc. 1. ad d. l. 7.

§. 11. Ex iis, quæ hactenus de natura & essentia
status exposita sunt, constare potest, quam insubtili erro-
re ad ius personarum, quatenus illud est primum iuris
nostri obiectum, nonnulli obligationem retulerint, quo-
rum sententiam, quanquam ei dudum à RIEMERO
Q. illustr. decad. 9. quest. 1. HILLIGER. ad DONELL. lib. 12.
cap. 1. lit. Æ. BACHOVIO, ARVMÆO & VINNIO, ad pr. Inst.
de obl. aliisque quam plurimis larva detracta, non ita pri-
dem tamen nihilominus defendit ICTUS ille celeberrimus
in Academia Franeckerana, IOH. IAC. WISSEMB.
disp. 31. ad Inst. t. b. 5. Sed tempestivè monet laudatus antea
Dn. D. SCHMIDEL, d. loc. Exerc. 11. p. 248. assertionem illam
mera ignoratione elenchi laborare; quin enim certo sen-
su obligatio ius personæ congruè dici possit, non tam,
quatenus personæ competit, quo pacto & dominium &
ususfructus ius personæ rectè dicatur, quam quatenus ad
ius creditoris se habeat per modum potentiæ obiectivæ,
à qua debitoris persona denominatur, quatenus item
personam vinculo quasi constringat, eandemq; subinde
sequatur, ut actiones etiam hinc orientes in personam
dicantur, vix quenquam dubitare; sed tale ius personæ
non intellexisse Imperatorem, dum secundum diversita-
tem obiecti jurisprudentiæ suæ partes distribuit, quæ cir-
ca actiones civiles versetur, quatenus vel acquisitiones
sint.

sint iuris alicuius, vel adquisiti iuris persecutiones *leg. ult. ff. de LL.* Ius verò acquirere nos vel circa personas, vel circa res: acquisitionis effectum esse, ut res acquisita iuri ac potestati nostræ subiiciatur: tale verò ius in personam extra statum hominum in iure nostro nullum dari, quod in persona, qua tali, ultimò adquiescat, eandemque alteri subiiciat: obligationem, etsi personam obligati adficiat, non tamen adficere, quatenus consideretur ut persona, sed quatenus ut debitor: debitorem autem dici non propter statum, cum quo obligatio hæc, nisi fortè per accidens, nihil commune habeat, sed intuitu rei, quæ debeatur: neque hunc finem ultimum esse obligationis, ut personam nobis obligatam vel subiectam habeamus, sed ut rem, quæ in obligatione est, consequamur. Quam sententiam pluribus rationibus solidè firmavit, adversanti- umque tela minutatim infregit Vir Cl. Dn. GERH. FELT- MANN. *supra cit. loc. cap. 28. n. 1. seqq.* Dormitasse autem, ac neutiquam rem seriò egisse ERASM. UNGEPAVERVM, quando ipsam obligationem personam esse contendit, *Exercit. 10. qua. in Ajo.* neminem dubitare existimo. Pona- mus enim propter statum aliquem obligari, an ideò ob- ligatio & persona, ceu qualitas obligationis receptiva e- runt eadem?

§. 12. Illud porrò consentaneum est, actiones illas, quæ ex statu seu iure in personam descendunt, præiudici- ales vel præiudicia ICTIS dictæ l. 35. §. 2. ff. de procurat. leg. 37 pr. ff. de obl. & act. l. 12. ff. de except. cuius denominationis ratio- nem vide ap. HUB. GIPHAN. *ad d. l. 37. n. 6.* propriè nec reales esse, nec personales. Cum enim reales ex iure in re, personales verò ex iure ad rem sint, apparet, utrasque ad jus rerum pertinere, à quo ut ius in personam obiecto dif-

17.
differt, ita etiã actiones ex hoc descendentes oportet ab il-
lis ipso genere esse distinctas. Et puto hoc ipsum offendisse
quosdam tam veteres, quam recentiores, ut planè dubi-
tarent, an hæ actiones præjudiciales ad censum actionum
sint referendæ, maximè cum *d. l. 35. §. 2. ff. de procurator.*
actionibus expressè opponantur. Quod tamen uti satis
abundeque refellitur per *§. 13. Inst. de action.* ita propter
hoc asseverare necesse non est, quia commodè neque ad
reales neque personales referri possint, cum omnis di-
visio actionis in sua latitudine acceptæ, in qua definitur
in pr. Inst. d. tit. per reales & personales minimè exhauria-
tur, neque absurdum sit, aliud genus actionum statuere,
earum nempe, quæ ex jure in personam descendant. In
his enim non res petitur, ut in realibus & personalibus,
sed persona *l. 1. §. 2. ff. de rei vind. l. 7. §. ult. l. 9. ff. de liber. caus.*
Unde etiam saltem in rem esse videntur *d. §. 13. Inst. de act.*
quod verbum h. l. sine dubio improprietas ac similitu-
dinis nota est, quia utique res à persona in jure nostro
longissimè differt. Cujus quidem similitudinis ea ratio
reddi potest, quod actio præjudicialis cum reali in eo
conveniat, quod utraque possessorem sequatur & de-
scendat ex jure in immediata relatione objecti ad perso-
nam, cujus illud jus est, consistente. Quæ ratio efficit, ut
tanto absurdior sit eorum opinio, qui has præjudiciales
actiones omninò personales esse contendunt, VAL. GVIL.
FORSTER. *part. 2. Tract. Justinian. disp. 1. tb. 3. lit. B.* quæ opinio
haud dubiè ex errore præcedenti thesi notato originè su-
am trahit. vid. VAL. RIEMER. *22. illustr. decad. 13. qu. 1.*
BACCH V. *ad Treutler. vol. 2. disp. 26. tb. 4. & tract. de actione*
disp. 2. tb. 19. qui tamen nescio quam subtilem rei vindica-
tionem hic fingat, quam planè nō admittit vindicationis

C

EX



ex veteri ritu natura, quam describit BRISSON. *de formul. & sol. pop. Rom. verb. lib. 5. Conf.* Dn. HAHN. *Obj. Wesemb. part. 2. p. 639. seqq.* MAGNIF. Dn. D. STRUVE, *Exercit. 46. tb. 68.* Dn. FELTMAN *d. loc. cap. 7. n. 9. seqq.*

CAPUT III.

De

Divisione Status.

§. 1. Ostendimus in superioribus, fundamentum Status esse Societatem, unde qualitatem hanc maximè secundum naturam esse oportet, quia homo naturalis ad nihil perinde proclivis est, quam ad Societatis colendæ studium. Ob quam etiam causam homo ARISTOTELI ζῷον φύσει πολιτικόν, animal natura sociale audit, *lib. 1. polit. cap. 2.* ubi videndus in Commentariis præter MONTECATINUM FERRARIENSEM & HUB. GIPHANIUM MICH. PICCARTUS *pag. 44. seqq.* Adde HUG. GROTIUM *in prolegom. de jure B. & P. n. 6. seqq.* GVALTER. DONALDSON *Synops. Oecon. cap. 2.* Nec moramur hic argutas THOMÆ HOBBSII ineptias, qui *tract. de civ. cap. 1. §. 2.* à statu hominis naturali, quem vocat, Societatis adpetitum longissimè removet, quem refutatū videas à Dn. D. CORTREJO, *in analysi dictorum παρελεγόμενων.*

§. 2. Affirmat autem & probat hoc ARISTOTELES *ibid.* de omni societate, & primò quidem evidentissimè de simplicibus, quarum tres facit *seq. cap. 3.* Conjugalem, herilem & paternam. Ad primam & postremam hæc ejus verba *d. cap. 2.* pertinent: ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τὰς ἀνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι οἷον θῆλυ (μὲν) καὶ ἀρρεν τῆς

19.

της γενέσεως ἐνεκεν, καὶ τὸ ἐκ ἐκ τῶν αἰρέσεων, ἀλλ' ὡς περ καὶ
 ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι, οἷον αὐτὸ τοῖς
 τὸν καταλιπεῖν ἕτερον. *Necesse jam est primum copulare eos, qui
 sejuncti esse non possunt, ceu faeminam & marem procreandi causa:
 atque hoc non consilio ac voluntate, sed quemadmodum & in aliis
 animantibus & stirpibus natura datum est appetere, quale ipsum est,
 tale relinquere alterum.* Ad servilem autem referenda, quæ
 in sequentibus de naturali quorundam imbecillitate, ob
 quam melius ipsis sit regi, quam regere, sibi que relinqui:
 item de naturali necessitate instrumentorum non uno
 loco prolixè differit.

§. 3. De conjunctis verò & maximè de civili, ceu o-
 mnium perfectissima, societate id hac ratione confirmat,
 quod hæc ex simplicibus illis sint compositæ ac constitu-
 tæ, unde necesse sit, ut ejusdem naturæ sit totum, cujus
 partes sunt, præsertim cum totum natura prius sit suis
 partibus. καὶ πρότερον δὴ, inquit, τῆ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ
 ἕκαστος ἡμῶν ἐστὶ, τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τῶ μέρει.
*Es prius quidem natura civitas est, quam domus & unusquisque
 nostrum. Totum enim prius necesse est esse, quam partem.*

§. 4. Ex quibus à Stagyrita traditis id primum patescit,
 quod ante dicebamus, nempe hanc qualitatem, quæ à sta-
 tu homini accedit, maximè secundum naturam esse; de-
 inde ipsa quoque status diversitas hinc manifestè appa-
 ret. Neque quoad prius repugnat, quod de servitute, quæ
 fundamentum est Societatis herilis, ait ICTUS FLO-
 RENTINUS in *l. libertas 4. §. 1. ff. de stat. homin.* per eam alie-
 no dominio contra naturam quem subijci. Id enim rectè
 ita interpretatur GROTIUS *laud. tract. lib. 3. cap. 7. n. 1.* quod
 servi naturà quidem, id est, citra factum humanum aut
 primævo naturæ statu hominum nulli sint, ut tamen facto
 hominis intercedente fieri servi possint, atque hic eorum

C 2

Status



status naturæ humanæ maximè conveniens sit. Vt enim naturà ipsa nemo maritus est, sed talis demū fit superveniente facto aliquo, contractu scil. nuptiarum, & tamen hoc non impedit, quo minus status conjugum ac maritalis societas ab instinctu humanæ naturæ proximè descendat; ita non obstante, quod nemo natura servus sit, nihilominus cum ARISTOTELE servitutem inter Gentes receptam intra suos terminos humanæ naturæ convenientissimam rectissimè dicemus. Vide hanc Aristotelis sententiam diffusius explicantes HENNING, ARNISÆUM *lib. 1. de Republ. cap. 3. sect. 3.* MATTH. BERNEGGERVM *quest. 150. in Tacit. de morib. German.* imprimis verò DANIELIS HEINSII *Epistolam de servis naturâ ad Georg. Richterum. Ictum, quæ extat in variis lectionibus JANI RVTGERSII.* Adde Dn. BOECLER, *ad Grotii lib. 2. cap. 5. n. 27. pag. 178. seqq.*

§. 5. Porro status diversitas ex diversitate societatum fluit. Et quia ex doctrina Aristotelica patet, aliam esse civilem societatem, quæ & publica dicitur, alias, ceu partes, civili, tanquam toti, subordinatas, atque idèo privatas; hinc status etiam publicus alius est seu civilis, alius privatus. Et privatus secundum differentiam societatum simplicium, ex quibus familia immediatè constat, alius conjugalis, alius paternus, & alius denique herilis. Ex statu publico potestatem Respublica vel caput ejus habet in cives ac subditos, quâ tales. Ex statu privato paterfamilias in uxorem, liberos & servos. De quibus singulis deinceps singulis capitibus sigillatim.

§. 6. Sed priusquam ad specialem hunc tractatum accingamur, alia nobis explicanda est status divisio, de cujus tamen membri divisum dicitur more loquendi eidem Aristoteli usitato *πρός τὴν ἢ ἀφ' ἐνός*, id est, de uno magis

gis

21.
gis ac principalius, quam de altero: Ita verò nobis sta-
tus commodè videtur dividi posse in Verum & analogi-
cum. Verum dicimus, quo quis verè in societate alteri
ita subicitur, ut eatenus, quatenus subjectus est, non sui,
sed alieni juris esse existimetur. Contrà analogicus inter
eas personas conspicitur, quarum altera alteri propter
conditionem suam ita est subjecta vel subordinata, ut ta-
men propterea non censeatur alieni juris esse. Talis status
in relatione ad publicum est inter defensorem seu prote-
ctorem & clientem, itemque inter eorum nonnullos, qui
inæquali foedere vel nexu feudali sunt conjuncti: ratione
privati verò, & quidem paterni, inter tutorem & pupil-
lum; ratione herilis, inter patronum & libertum, & ho-
diè inter nobiles ac homines proprios; denique ratione
coniugalis nescio, an inter marem & concubinam. Et
de his ergò suis quoque locis, ut de omnibus, pro instituti-
ratione breviter.

§. 7. Ex his autem satis evidenter apparet; inter
quas personas nullus ejusmodi sive verus, sive analogicus
subjectionis ac superioritatis est respectus, inter eas etiam
nullum esse statum: ut alicui merito suspecta videri pos-
sit illorum sententia, qui inter fratres etiam & sorores
cæterosque cognatos invicem statum nescio quem sibi
fingunt, & actionibus præjudicialibus jus fraternitatis vel
cognitionis persequuntur. Nisi alio & latiori sensu vo-
cem actionis præjudicialis accipiant, quam ut eam tan-
tummodo significet, quæ ex statu hominum immediatè
oritur. Quem significatum nec origo nominis respuit,
secundum quam præiudicium generaliter dicitur, quic-
quid iudicaturis exemplum est allaturum. Hoc sensu ne-
gatur ab **VLPIANO** in *l. pen. ff. de his, qui sui vel alien. jur. ali-*
men-

mentorū causa veritati facere præjudiciū, & à PAULO
in l. in duobus. 28. §. ult. ff. de jurejur. posteriori jurejurādo præ-
 judiciū alterius periurio fieri. Sic Lex Aquilia non fa-
 cit præjudiciū L. Cornelix, juxta *l. inde Neratius. 23. §. si*
dolo 9. ff. ad L. Aquil. Conf. l. interdum 4. ff. de publ. judic. ac sæ-
 pe constitutum est, teste MACRO, *lib. 2. de appellat.* unde
desumpta l. pen. ff. de re judic. res inter alios judicatas aliis
 non præjudicare. Nec diffiteor, has actiones, quæ propter
 statum competunt, ideò in specie & secundum excellen-
 tiam dictas fuisse præjudiciales, quod plerumque aliis fa-
 ciant præjudiciū, præsertim quæ de jure hereditario,
 alimentorum, similibusque moventur.

§ 8. Unus adhuc scrupulus nos detinet, quo minus
 ad sequens caput transeamus. Diximus, per statum ve-
 rum aliquem alterius juri ac potestati ita subjici, ut hacten-
 us non censeatur sui juris esse, & hoc modo etiam subdi-
 tos civitati vel Principi, uxores maritis suis esse obnoxio-
 sos. Atqui tamen *in pr. Inst. §. l. 1. ff. de his qui sui vel al. jur.*
 soli filii familias & servi, alieni juris esse dicuntur, ita ut ex
 horum oppositione adæquatè apparere debeat, qui sint
 sui juris. Respondetur, quod cives seu subditos attinet,
 homines à Icto dividi in eos, qui sui vel alieni juris sunt,
 cum relatione ad jus privatum & statum familiæ; Vnde
 nulla ratio fuit cum privato jure commiscendi publi-
 cum, ad quod Status civium in ordine ad Rempublicam
 summamque in ea potestatem pertinet, Dn. D. STRAVCH.
dissert. 2. ad Pandect. lib. 1. Quod verò uxores concernit, sci-
 endum est, à Icto illos speciatim dici alieni juris, qui nul-
 latenus sibi relictī, sed toti quasi alterius sint, ut absolutam
 alter & illimitatam in eos habeat & exerceat quoad om-
 nes eorum actiones potestatem. Ita verò privatorum
 pote-

potestati nemo suberat, nisi vel servus, vel filiusfamilias, in quos Jure civili ac Legibus 12. tabb. patresfamilias jus ipsum vitæ & necis habebant, quibus solis omnia illi acquirebant, ipsi domini omnisque ferè facultatis civilis ex sua persona incapaces. vid. CVNRAD. RITTERSHVS. *comment. ad LL. 12. tabb. class. 3. part. 1. cap. 1.* Hoc modo alieni juris non erant uxores, in quas mariti ad finem saltem cōjugii restrictum habebant imperium vid. RITTERSHVS. *d. loc. cap. 7.* hoc est, ita alieni juris erant, ut tamen, qua tales, & sui juris essent, neque adeo ad eos referri commodè poterant, qui nullatenus sibi erant relictæ. Uxor sua habebat bona, præter dotalia, quorum naturale apud ipsam remanebat dominium *l. 30. C. de jure dot.* paraphernalia, item receptitia, suo arbitrio alienabat, contrahebat, acquirebat, neque ipsum matrimonii vinculum tam strictum habebatur apud Romanos, quin solâ uxoris voluntate posset dissolvi, repudii libello marito misso. RITTERSHVS. *d. loc. cap. 8. pag. 92. seq.* Ipsa familiam pari quodammodo jure cum marito regebat, socia domus, jurisque divini & humani particeps *l. i. ff. de rit. nuptiar. l. 4. C. de crim. expil. hered.* Qua ratione & Aristotelē existimo nō absurdè docuisse, maritum uxori imperare πολιτικῶς, salvo scilicet æqualitatis respectu: ipse hujus sententiæ interpret *lib. 1. Polit. cap. 8. aliàs 12. ἐν ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς ταῖς πλείσταις μετὰ βάλει τὸ ἀρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον ἐξ ἴσας γὰρ ἵνας βέλεται τὴν φύσιν καὶ διαφέρειν μηδέν.* In aliis civilibus imperiis plurimis mutant vicem imperans & obsequens; par enim & æqualis conditio civium esse debet, quos non convenit inter se discrepare. Quæ omnia satis argumento esse possunt, cur Romani Icti uxores maluerint inter personas sui, quam alieni juris referre; qui tamē alibi aliquam maritis in uxores potestatem

Statem haud invident, uti ex infra dicendis adparebit.
Atque hæc de diversitate status pro instituti modo suf-
ficient.

CAPIT. IV.

De

Causa efficiente Status.

§. 1. Quia Status est qualitas personarum ex relati-
one imperii ac obsequii immediatè resultans, ut *cap. præ-*
ced. 2 demonstratum, causam ad eandem rectissimè eam
referemus, à qua imperium ipsum suam habet origi-
nem: qua in re quicquid alii senserint, nobis semper ve-
rissima sententia visa est eorum, qui omnis humani im-
perii fontem sanctissimum & Divinum Numen esse non
piè minus, quam verè statuunt. Absolutè enim & per se
nemini in hominem imperium competere potest, quam
Deo. Vnde & omnes fatentur, humanum omne respectu
divini imperii esse dependens ac subordinatum, neque
adeò in ulla re ei posse contrariari. De matrefamilias **CLE-**
MENS ALEXANDRINVS: πάντα τῷ ἀνδρὶ πισθόμενης, ὡς μη-
δὲν ἀκόντος ἐκεῖνος πρῶτον ποιεῖ, πλην ὅσα εἰς ἀρετὴν τε καὶ σωτηρίαν
διαφέρει νομιζήται, in omnibus viro parebit, neque eo invito faci-
et quicquam extra qua credit ad virtutem salutemque momentum
habere. De filiis & servis ita **D. HIERONYMVS**: in illis
tantum debent Dominis & parentibus esse subiecti, qua contra Dei
mandatum non sunt. De subditis denique **TERTVLLIUS**
NUS: satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere
secundum Apostoli præceptum, subditos Magistratibus, princi-
bus & potestatibus: sed intra limites discipline. Quæ, & alia
ejusdem argumenti loca quam plurima videas apud
GROT.

25.
GROT. *lib. 2. de jur. bell. & pac. cap. 26. n. 3. & Annot.* BARON. ENENCKELIUM *in Sejano, cap. 3.* JAN. GRUTER. *disc. 48. in Tacit.* MICH. VIRDUNG. *ad Agric. Tac. cap. 42.* CL. BOECLER. *dissert. de judiciis p. m. 99.* Fundamentum ergo primum omnis status est mandatum Divinum, qui ut omnes res creatas suo peculiari modo, ita hominum genus imperio constituto regit adque finem suum, quem in ordine ad universum obtinet, dirigit. vid. BOECLER ad GROT. *lib. 1. cap. 3. §. 6. p. 199.* Ut ergo pater patriæ in me jus habet ideò, inquit D. JO. AD. OSIANDER, *annot. ad Grot. lib. 2. cap. 5. pag. 725.* quia est Dei vicarius in his terris, penes quem est omnium creaturarum summa potestas, ita pater in domo sua jus & imperium habet ideò, quia est vicarius Dei, ejusque loco præest. Vid. plura pro confirmatione sententiæ nostræ apud THEODOR. REINKING. *lib. Ide regim. secul. & ecclesiast. class. 1. cap. 3. & seqq.*

§. 2. Deferuntur autem à Deo vices Imperii hominibus non uno modo: quibusdam immediatè citra factum aliquod interveniens à parte obsequentis, quomodo parentes vi præcepti Divini potestatem habent in liberos ex se natos, hoc ipso, quod nati sunt; quæ quidem nativitas ac generatio demonstrat magis subjecta hujus societatis, quam ut ipsum imperandi habitum parenti tribuat. vid. non absurdè disputantem JOHAN. FRIDER. HORN. *in archit. politic. lib. 1. cap. 1. n. 6. & 7.* Quibusdam mediatè per interveniens factum, quod ratione ejus, qui alterius potestati subjicitur, in ordine ad hunc effectum vel ἐνθρονον est, voluntarium; vel ἀνθρονον, invitum. Priori modo uxor in mariti ac subditi plerumque in Principis aut Reipubl. posteriori verò servi ferè in
D
Domi

dominorum potestatem veniunt, ut distinctè paulò post trademus. Quæ facta hoc in negotio nihil aliud præstant, quam ut subjectum obsequens determinent, eidemque potentiam moralem passivam imprimant, per quam alterius imperio applicatum ac subordinatum arctissimo quasi vinculo morali ad obsequium adstringatur; unde, qua talia, ipsi subjecto imperanti nullum pariter conferre possunt ad imperandum habitum, quem illud aliunde habere opus est; nec potest aliunde, nisi, uti ante diximus, à DEO, omnis imperii unica principali causa. Unde & Politicus Magistratus à Paulo *ad Rom. 13. vers. 4. Minister Dei vocatur nostro bono.* Ex quibus eorum error dispalescit, qui causam imperii in electione & consensu populi Principi suo se subjicientis quærunt, item, qui omnis imperii civilis fontem, subjectum proprium, unicum & perpetuum totam populi multitudinem, cui eo nomine realis & ab ipso inseparabilis majestas in qualibet regiminis specie tribuitur, eò pertinacius defendunt, quo plures se vident habere asseclas, inter quos etiam sese conspiciendum præbet ILLUSTR. CARDIN. BELLARMINUS, *de laicis, cap. 6. & advers. Barclaj. cap. 12.* Præcipuè verò has partes strenuè sibi defendisse visi sunt personatus ille STEPHANVS JVN. BRVTVS *in vindiciis contra tyrannos,* (de cujus scripti autore non una inter eruditos conjectura; GROTIUS enim *in Apologet. contr. Andr. Rivet. PHILIPPO MORNÆO; GEORG. HORN. in orbe Imper. sub Regn. Gall. can. s. p. 117.* aut huic, quem ipse Marnixium, dominum de Sancta Aldegonda, vocat, aut HOTOMANNO; BOECLERUS denique *ad GROT. lib. 1. cap. 4. n. 6.* HVBERTO LANGVETO tribuit) & notissimus ille Anglus

JO. MILTONVS *in defens. popul. Anglic.* Sed horum sententiam eleganter diridet, ut cum ICto loquar in *l. sed. an. ultro* 10. §. 1. ff. de negot. gest. GVIL. BARCLAI, *tr. contra Monarchomachos*, CLAUD. SALMAS *in Def. Regis* MARC. ANT. de DOMINIS *lib. 6. republ. cap. 2.* ut alios taceam. Et quidem meritissimò. Quemadmodum enim, sunt verba Consultissimi Dn. ZIEGLERI ad Grot, *lib. 1. cap. 3. n. 7.* populus eligendo pastorem Ecclesiæ non confert potestatem docendi, solvendi & ligandi, nec conferre potest, quia sciam nunquam habet ipse, sed personam electam potestati à DEO immediatè proficiscenti applicat, haud aliter & eligendo Regem non confert potestatem imperandi, sed personam electam producit, eamq; destinat ad exercitium potestatis illius à Deo conferendæ. Conf. Excell. Dn. D. STRAVCH, *dissert. de constitutionibus princip. aphor. 3.* Eadem ratio est cœterorum Imperiorum. Qui autem cujusq; deferendi proprii ac peculiare modi sint, in speciali tractatione ostendetur, ad quam sine ulteriori mora accingimur. Etsi enim in hac generali parte de subiecto, Fine & Effectu status in genere quædam etiam proponere possem, attamen & hæc ex speciali horum expositione facile apparebunt, ut temporis compendium futurum sit, hic ea omitti. Incipiemus autem à statu privato.

CAPIT V.

De

Statu conjugali.

§. I. Status conjugalis est qualitas personæ ex relatione,

D 2

latione,

latione, quæ in societate conjugali inter marem & foeminam est, immediatè resultans, secundum quam hæc imperio illius ad obtinendum finem hujus societatis subjicitur.

§.2. Subjectionis hujus causa proxima est consensus, quo nuptiæ celebrantur, quæ sunt maris & foeminae conjunctio, individuam vitæ consuetudinē continens, §.1. *Inst. de patr. potest.* Ita TERTVLL. *in Apologet. de matronis Romanis, ne vinum biberent, ut individuam vitæ societatem colerent.*

§.3. Quamvis verò hæc definitio per se non excludat polygamiam cum pluribus foeminis, quam nec naturali juri simpliciter, sed Divino demum positivo tam veteris, quam novi testamenti contrariam esse putamus, & quidem ex rationibus, quarum plerasque recenset BASILIVS PONTIVS LEGIONENSIS, *lib. 7. cap. 49.* Conf. DIDAC. COVARR. *de matrim. part. 2. cap. 7. n. 3.* THOM. SANCHEZ, *lib. 7. de matrim. disp. 80. num. 5.* JOH. SELDEN, *lib. 5. de jur. Nat. & Gent. juxt. disciplin. Ebraor. cap. 6.* aliunde tamen satis manifestè constat, eam Romanorum moribus legibusque fuisse improbatam, quibus non licuit quam unam uxorem habere, §. 6. *seq. Inst. de nupt. vid. ISAAC. CASAVB. ad Sueton. Cesar. cap. 52.* HENELIVM *in Otio Vratislav. cap. 41.* Ex quibus simul subjectum status hujus patescit, esse sc. ab una parte marem, ab altera foeminam, utrinque ad societatem conjugalem aptos. Quæ aptitudo partim secundum naturam, partim secundum leges æstimatur. Secundum naturam cum in puberibus, cui pubertati LL. Romanis certum principium constitutum, *pr. Inst. quib. mod. tut. fin. lult. C. quando tut. esse desin.* Quod

Quod laxavit quidem jus Canonicum *c. 3. X. de despons. impub.* ut tamen eodem non facile permetterentur ante legitimam ætatem nuptiæ, *vid. cap. 2. X. eod.* tum in iis, qui penitus generandi potentia sunt destituti, quales Eunuchi seu castrati, *ἄποκεκοιμητοί*, ut locum *Deuteron. 23. vers. 1.* vertunt Hellenistæ, *vid. de horum diversitate SELDEN. d. loc. lib. 5. cap. 16. pag. 657. seqq. PAUL. ZACH. 2. 2. Medico-Legal. & de jure castrandi EMVND. MERILL. lib. 1. obs. 25. HENEL. d. loc. cap. 35. Non spadones §. 9. Inst. de adopt. Confer. ANT. AVGVSTIN. lib. 3. emendat. cap. 5. MERILL. dict. loc.* Secundum leges in iis, qui cum cives sint Romani (cum peregrinis enim & servis nullum jus connubii jure civili, *pr. Inst. de nupt. l. 3. C. de incest. nupt.* quod iterum secus est de jure Canonum *cap. 1. X. de conjug. servor. HATN. vel potius WEGNER. dissert. de differ. jur. Civ. & Can. aphor. 13. lit. C.*) ex certa causa matrimonio jungi non prohibentur. Causæ prohibitionis sunt (1.) cognatio, jure civili inter liberos & parentes, qui incestus est juris naturæ & Gentium, *vid. GROT. lib. 2. de J. B. & Pac. cap. 5. n. 12.* non tantum in primo, sed & ulterioribus gradibus, in infinitum. Quicquid contra putent *SANCHEZ. & COVARRUVIAS, dd. ll. Conf. THOM. HVRTAD. tract. 1. resol. 28. n. 299. seqq.* item inter fratres & sorores ceterosque cognatos, qui invicem sunt parentum & liberorum loco, *§. 3. Inst. d. t.* Jure vero Canonico intra quartum consanguinitatis gradum inclusive, *cap. non debet X. de consang. vid. CVJAC. ad cap. pen. X. de consang. & affin. EVNR. RITTERSHVS. lib. 1. differ. jur. civ. & Can. cap. 6. Dn. STRAVCH. dissert. 2. ad Pandect. apb. 15. & seq.*

(2) Affinitas, inter eos, inter quos idem, qui inter consanguineos respectus, adeoque jure Canon. etiam intra

quartum gradum, *d. cap. non debet*, quos gradus affinium solum hoc jus computat per derivationem à gradibus consanguinitatis, vid. MARTIN. AZPILCVET. NAVARR. *tom. 3. cap. 22.* eorumque tria genera constituunt, quæ prohibitio tamen hodiè intra primum tantum genus continetur, *cap. 8. X. de consangu. & affin. COVARRUV. d. loc. c. 6. §. 7. num. 6.* VAL ANDR. DESSEL. *Errorem. jur. can. lib. 4. tit. 14. pag. 392. seqq.* RITTERSH. *dict. loc. cap. 9. seqq.* (3) delictum, raptus *l. un. §. 1. Cod. de rapt. virgin. & adulterii l. 29. §. 1. ff. de adult.* Quæ tamen causa jure Can. & moribus nostris non solet attendi *cap. pen. & ult. X. de rapt.* nisi adulterio adjuncta nuptiarum promissio aut machinatio in prioris conjugis necem *cap. 6. X. de eo, qui dux. in matrim. quam poll.* SANCHEZ. *dict. lib. 7. disp. 12. num. 28.* PROSPER. FARINAC. *2. Q. crim. 145. v. 47.* LVD. MOLIN. *tract. 3. de just. & jur. disp. 105. n. 9.* CARPZ. *Jurispr. Consist. lib. 2. def. 10. & 11. & part. 2. prax. crim. quest. 75. num. 68.* (4) potestas, in Magistratu *l. 63. ff. de ritu nupt. tutore, leg. pen. & tot. tit. C. de interd. matrim. int. pup. & tut.* sed neutrum horum moribus obtinet, nisi accedat concussio, MOLIN. *d. loc. tr. 5. disp. 23. n. 5.* JOACH. à BEVST. *tr. de sponsal. cap. 21.* JO. GVTIERREZ. *de rit. part. 3. cap. 12. n. 8.* Huc pertinet Iur. Can. conditio clericalis, ob quam an rectè prohibitum sit matrimonium, nostrum non est inquirere.

§. 4. Ad nuptias autem jure civili nihil amplius desiderabatur, quam consensus purus ac præsens non tantum eorum, qui nuptias celebrabant, sed eorum quoque, in quorum hi erant potestate, *pr. Inst. l. 2. ff. hoc tit.* etiam jure Canonico *cap. 3. cap. 30. qv 5.* Et frustra queritur cum RITTERSH. *dict. loc. c. 4. qu. 1.* de jure civili, an sine

con-

consensu patris contractum & consummatum dirim
 possit, cum non posset contrahi, etsi vel maximè carna
 lis copula multoties intervenisset. Hodiè tamen, ubi
 nuptiæ iustæ, non amplius secundum veterem iuris civi
 lis rigorem, sed magis iuxta ius naturæ & divinum exi
 guntur, rectè ita & quaritur, & quaestio negatur, si acces
 serit *εεγγλογλα* seu benedictio sacerdotalis, quæ ex consti
 tutionibus ecclesiasticis hodiè ad consummationem
 matrimonii ita necessaria est, ut ante eam cōsensus con
 iugalis non nuptias, sed sponsalia saltem faciat, quæ de
 presenti dicuntur, ad differentiam scil. eorum, quæ sola
 iure civili sponsalium nomine veniebant, semperque re
 spectum involvebant ad futurum consensum coniuga
 lem, vid. CARPZ. *lib. 5. Resp. Elect. 108.* & de huius *εεγγλογλα*
 in Ecclesia antiquitate IOAN. SELDEN. *lib. 2. de uxore Ebra
 ïca, c. 28 seq.*

§. 5. Finis primarius est procreatio sobolis; hinc
 vetus in pactis nuptialibus formulæ: *liberorum procreando
 rum causa*, de qua vid. DESIDER. HERALD. *ad lib. 7. Arno
 bii advers. Gent.* Secundarius mutuuum adiutorium in fa
 milia administratione, qui efficit, ut etsi prior ob ætatis
 impotentiam in senibus & effoetis cessit, & propter quam
 olim Lepe Papia Poppæa cautum, ne mulier quinquas
 ginta annorum sexagenario nuberet, ARNISÆ, *de jure
 connub. cap. 2. sect. 4.* hodiè tamen propter illum inter tales
 personas matrimonium concessum sit Justiniani consti
 tutione *in l. sancimus, 27. C. de nupt.* quanquam sæpe rectius
 dissuadeantur, vid. SANCHEZ. *d. loc. lib. 7. disp. 92. n. 20. seqq.*
 CYPRÆVS, *de sponsal. cap. 9. §. 8.*

§. 6. Dum igitur ob hunc finem consociatur mas
 &

& foemina, statim inter illos oritur status, seu talis qualitas, secundum quam alter alteri obligatur ad ea, quæ secundum naturam huius societatis ad obtinendum eius finem sive per se sive secundum determinationem legis alteri alterum præstare convenit. Ea vel communia sunt utrique, vel singulis propria. Illuc refer mutuum amorem & fidei conjugalis sanctimoniam, ab omni libidine adulterina ac furtivis amoribus alienam. Disparitatem enim, quæ olim circa hanc rem erat inter maritum & uxorem, à & cum qua sola adulterium videbatur committi, vid. ANT. MATTHÆI, *tr. de Criminib. lib. 47. c. 3. c. 12.* rectè insuper habent mores ac judicia Christianorū. *c. 4. X. de bon: conjug.* BOCER, *tr. de adult. c. 2.* ANT. MATTHÆI, *d. loc. c. 1.* Qualis autem fuerit illa diversitas, exponit RITERSHVS. *lib. 2. differ. jur. Civ. & Can. c. 10. in fin.* Communis quoque est utrique conjugum præstatio debiti conjugalis ad obtinendum finem conjugii, *1. Corinth. 7. vers. 3.* IOH. GERHARD, *in LL. Theolog. tom. de Conjugio, §. 400.* ac perpetua vitæ consuetudo in quacunque fortuna; censentur enim una caro *Gen. 2. vers. 24. Can. 3. cap. 35. qu. 5.* RICHTER, *decis. n. n. 5.* denique qualiscunque bonorum communio, quam honorariam vocat ANT. MATTH. *disp. 4. de matrimon. cap. 22.* Cœterum quia status hic non tantum coniungit, sed etiam ita distinguit maritum & uxorem, ut ille huic præpositus, hæc illi subjecta videatur, hinc uxori propriè vi status sui incumbit, ut mariti domicilium sequatur; an & vagabundi? vid. Dn. CHR. PH. RICHTER, *part. 1. decis. 9. n. 6.* ipsique reverentiam, *l. un. C. de rei uxor. act.* & obsequium in iis potissimè, quæ ad statum ac finem familiæ respectum habent, præstet, *arg. l. 31. pr. & §. 1. ff. de don. inter*

inter vir. & uxor. l. 5. C. de condit. insert. l. 4. C. de collat. JA-
COB. MENOCH de arbitr. jud. 22. & caus. cas. 469. n. 4 seq.
 Unde etiam maritus uxoris caput *c. 5. c. 32 qu. 6. & do-*
minus appellatur in l. 8. C. de inoffic. donat. & jus mariti do-
minium à GROTIO lib. 2. cap. 5. n. 11. quamvis haud parum
impropriè, ut benè ibi animadvertit Dn. D. ZIEGLER
p. 276. In quibus si immorigeram se præstet uxor, olim
pleniorem, hodiè modicam saltem eam cöercendi pote-
statem propter imperium suum maritus habet Eccles. 25. 30.
36. l. 7. §. 2. in fin. & §. seqq. ff. de injur. HENNING. ARNISÆ.
de jure connub. cap. 7. sect. 4. MEVIUS ad Jus Lubecense part.
2. tit. 2. art. 12. n. 439. seq. Dn. D. STRUVE, de vindicta pri-
vata, cap. 8. art. 1. JO. NEVIZANVS sylva nupt. lib. 1. n. 36.
 Ejusdem quoque uxoris est propter subjectionis statum,
 ingenium iniquius ac mores mariti asperiores, quantum
 poterit, æquo ac patienti animo ferre: quod si modus ni-
 mium excedatur, non ipsa se vindicet, sed auxilium à ju-
 dice competente contra maritum modestè petat, qui pro
 re nata eum separatione à toro & mensa, aliterve cöerce-
 bit vid. *CARPZOV. lib. 2. Jurispr. consist. Desin. 210. & III.*
 Contra maritus propter statum tueri ac alere tenetur uxo-
 rem arg. *l. 43. ubi vid. GOEDD. de verb. signif. ARISTOT. lib.*
8. Ethic. cap. 11. & lib. 1. Polit. c. 5. & 8. eamque eo loco ac di-
gnitate habere, in qua ipse est constitutus, cum uxor con-
ditionem mariti ex dispositione juris & secundum natu-
ram hujus societatis promiscuè sequatur l. 8. ff. de senat. l. 13.
C. de dignit. Unde splendor uxoris dicitur pendere à maris
to, ceu à sole, BODIN. lib. 1. de Republ. cap. 3. Atq; hinc eti-
am non dubium est, quin plebeja nupta nobili vel etiam
Illustri ipsa quoque tali jure in omnibus censeatur, NEV-
 E
 EN.

34.
ENHAHN *de jur. & priv. viduar. sect. i. pag. 94. CARPZ.*
part. 3. Const. 37. Def. 2.

§. 7. Effectus porrò subsidiarius est actio præjudicialis & imploratio officii judicii. vid. Dn. STRUVIUS *Syntagm. jur. Civ. Exerc. 29. th. ult.*

§. 8. Dissolvitur denique hic Status vel morte, vel divortio, quod tamen inter Christianos ob spirituale vinculum, quo simul nuptiæ contrahi intelliguntur, nõ perinde, ac apud Gentiles veteresque Romanos, à partium voluntate mutuoque, multo minus ab unius, dissensu pendet. COVARRUV. *part. 2. de matrim. cap. 7. S. 4. n. 7.* THEODOR. BEZA *de divort. p. m. 216.* neque procedere potest, nisi ex causis jure Divino disertim probatis, quales nos duas saltem agnoscimus cum laudato Beza, adulterium scil. & malitiosam desertionem. *1. Cor. 7. vers. 11. & 15. Matth. 19. vers. 9.*

CAPUT VI.

De

Concubinatu.

§. 1. Societatem seu vitæ consuetudinem, quæ inter marem & concubinam olim fuit, analogum quid fuisse consortii conjugalis, id argumento est, quod, teste ZENONE *in l. 5. C. de natur. lib.* Constantinus Imper. proposita legitimandorum liberorum per subsequens matrimoniũ ratione, patriæq; potestatis in liberos naturales, adquirendæ modo, concubinatu in nuptias paulatim vertere fategit, ita ut si non concubinatu omninò tollere è Republica Christiana posset, quæ sanè etiam quadantenus lege sustulit.

sustulit, *l. un. C. de concub.* saltem post susceptos jam liberos
 arctiorem & sanctiorem conjunctionem legitimo cons
 nubio mutare discerent; ut fermè alioquin solet liberorū
 contemplatio chariorem & sanctiorem copulam facere,
 & ad matrimonium contrahendum invitare. Quam in
 sententiam videndus insignis D. CHRYSOSTOMI de
 Abrahamo & Ismaele locus *lib. 2. de providentia Dei.* Sanè
 quoad eam, quæ poterat uxor esse, concubinatus non alia
 re à nuptiis & societate conjugali differebat, quam affe
 ctione maris, quod illa non esset maritalis, sed concubi
 naria. Quæ animi intentio cum per se non pateat, hinc
 factum, ut sæpè dubitaretur, uxorem legitimam, an con
 cubinam quis habuisset. Quoad eam verò, quæ ob non
 observatum præscriptum legis positivæ uxor esse non po
 terat ad participationem effectuum ejusdem juris Civilis,
 in terminis Juris Naturæ seu Gentium sæpissimè nulla in
 ter concubinam & uxorem erat differentia. vid. GRO
 TIVM *sæpius cit. lib. 2. cap. 5. n. 15.* Vxor erat, sed non le
 gitima, ut distingvit CLAUDIVS ESPENCÆVS *lib. 2. de*
digam. cap. 7. & 9. Vice-conjux in *Vet. inscript.* de quarum
 tamen fide dubitat EMVND. MERILL. *lib. 3. Obs. 15.* Et
 cum ea conjugium erat, sed inæquale, *l. 3. C. de natur. lib.*
 quod nempe ab uxore non nisi dignitate differret *l. 49. §. 4.*
ff. de legat. 3. Quo concubinatu illi interdum utebantur,
 quibus matronam ducere grave videbatur propter appa
 ratum & sumptus, quibus tum opus erat, CVJAC. *ad l. 6. ff.*
ad L. Jul. de adult. Vnde & adulterium in ipsam commit
 tebatur. *l. 13. pr. ff. ad L. Jul. de adult.* ANTON. FAB. *3. con*
ject. 14.

§. 2. Ejus quædam species nostris temporibus est

E 2

conju

conjugium illud personarum quarundam nobilissima ac illustrium, quo una in alterius sinistram manum venit, cuius, ni fallor, moris apud Gentes Germanicas antiquissimi vestigia videor mihi deprehendisse in 2. Feudor tit. 9. & tit. 29. Atque hunc concubinatum non perinde Iuri Gentium aut Divino adversari arbitror, quam alterum illum, quo citra affectionem maritalem solius libidinis explendæ causa unus uni se jungit. Unum, inquam: In hoc enim à pellice distabat concubina, autore FESTO. Sed pluribus hæc, ut & sequentia, exequi & ad methodi nostræ leges nostraque de Statu principia exsertim adplicare temporis angustia & instans abitus minimè patiuntur. Quare eorum, quæ supersunt, primas saltem lineas duxisse sufficiat.

CAPUT VII.

De

Statu paterno.

§. 1. Status hic denominatur à subjecto potiori, quem admodum paterna societas, & est qualitas personarum ex hac societate resultans, qua liberi ex justis nuptiis geniti patris curæ potestatique subjiuntur.

§. 2. Subjectum ergò ab una parte est pater, qui juxta determinationem juris civilis solius hujus potestatis capax est §. ult. Inst. de patr. potest. si quidem civis Romanus ac sui juris sit l. 13. ff. de suis & legit. Et matri, re etiam absolutius & cum abstractione quadam juris civilis considerata, æque cum patre adhuc vivente ea tribui non potest, cui tamen semper filialem cultum, pietatem ac reverentiam

rentiam constare volumus. vid. ARNISÆUS *de Repub. lib. 1. cap. 4. sect. 1. n. 10. seqq.* ubi tamen frustra ICTOS nostros carpit, quod potestatem patriam propriam dixerint esse civium Rom. quo asserto nihil dici potuit verius, quamvis non eo sensu, quem ille sibi fingit, ut alio à nobis tempore demonstrabitur.

§. 3. Ab altera parte sunt liberi, non tantum primi, sed etiam ulterioris gradus, si horum pater tempore conceptionis vel nativitatis in sui adhuc patris fuit potestate. Jure enim non tantum civili, sed & naturali alterum nemo in potestate habere potest, qui ipse adhuc in potestate est ejusdem generis *l. sic eveniet. 21. ff. ad L. Iul. Majest.*

§. 4. Causa subjectionis est ipsa generatio & nativitas, non ex quolibet promiscuo coitu, sed ex justis nuptiis *pr. Inst. de patr. potest. l. 5. & 6. l. 18. ff. de statu homin.* Hæc tamen generatio vel vera est & naturalis, unde naturales liberi §. 2. *Inst. de inoffic. testam.* qui vel ab initio statim legitimi, vel ex post facto demum per subsequens matrimonium aut rescriptum Principis legitimati §. ult. *Inst. de nupt. Nov. 69. cap. 9.* vel ficta & civilis, unde liberi adoptivi, §. 2. *l. 1. Inst. & ff. de adopt.* Hujus fundamentum est sola potentia generandi §. 9. *Instit. de adopt.* non tam absolute, quam cum relatione ad filium adoptatum spectata; §. 4. *Inst. eod.* Unde merito ridiculam vocabat adoptionem HERODIANUS, qua Heliogabalus annos natus quatuordecim Alexandrum 12. annorum filium sibi sumpsit. Adde de Clodio CICERO *orat. pro domo.* Illius verò fundamentum præter potentiam & actus generationis seu exercitium est, de quo si aperte non constat, ut si decennio absens anniculum reversus domi reperiat, *l. filium*

lium. 6. ibi HOTOM. de his, qui sui vel al. jur. ob solas nuptias, quæ in dubio saltem patrem demonstrant, l. 19. ff. de stat. homin. DÓNELL & HILLIG. lib. 2. cap. 10. lit. G. pro filio non habebitur. Creditur enim septimo tantum vel undecimo mense à tempore ultimi coitus quem ex quo posse nasci, quas juris veteris definitiones neutiquã labefactant contrariæ Medicorum quorundam recentiorum fallaces admodum observationes l. 12. ff. de stat. hom. l. 3. §. pen. ff. de suis & legit. Nov. 39. cap. 2. vid. JOACH. MYNSING. cent. 6. obs. Cam. 40. PAUL, ZACH. 1. 2. Medico-Legal. 2. PET. ÆROD. lib. 2. rer. judic. c. 2.

§. 6. Finis hujus Status est conservatio & educatio prolis ad ipsius ac Reipubl. salutem, familiæq; propagationem ac decus, deniq; ipsorum quoq; parentum gaudium & in senectute solamen. Hinc ARISTOTELES benè observat, parentes liberis imperare regiè, quod pariter hîc, ut in regno ejus, qui regitur, utilitas primariò, rectoris verò commodũ secundariò saltem intendatur. *loc. sup. cit.*

§. 6. Vi ergo hujus Status obligatur parens liberis, quoad conditio cujusque patitur, ad defensionem, alimenta, exactissimam pro eorum salute & honesta educatione curam, sumptus addiscendis artibus studiisve liberalibus necessarios, deniq; ad efficiendum omne id, ut, quantum in ipso est, liberi dignam ipsorum fortunã ac conditione vitam transigere, & ad suos quoq; posteros transfundere possint. Quam ob causam rectissimè visi sunt Romanis pietati naturali vim facere, qui sine justa & gravi causã à successionem bonorum liberos per exheredationem excluderent, l. 2. 3. & 4. ff. de inoffic. testam. l. 36. §. ult. C. eod.

§. 7. Contra vi Status liberi parentibus obligantur ad obsequium, & quidem in omnibus, quæ divinis aut civilis

39.
vilis imperii præceptis non adversantur propter subordi-
nationem imperii paterni, ad cultum & reverentiam ac
quælibet grati animi specimina exhibenda *l. 15. pr. ff. de in-
offic. test.* Atque hæc patria potestas eousq; moribus Rom.
extendebatur, ut tempore extremæ famis & liberos ven-
dere posset pater, salva tamen illorum ingenuitate, *l. ult. C.
de pat. qui fil.* In subsidiū verò ad cõercendos imperio pater-
no refractarios olim jus vitæ & necis *l. 11. in fin. ff. de lib. &
posth. l. ult. C. de patr. potest.* hodiè verò modica saltem cõerci-
tio patri competit, *l. 3. C. eod.* vid. HARTM. PISTOR. *Obs.*
168. Alios effectus hic designare non vacat.

§. 8. Solvitur hic Status iisdem modis, quibus ipsa pa-
tria potestas, morte alterutrius tum naturali, tum civili, *pr.
& §. 2. Inst. quib. mod. jus pat. potest. solv.* emancipatione, digni-
tate, hodiè nuptiis filia vel separata filii *Oeconomica.* vid.
Carpz. part. 2. Const. 10. Def. 1. & 2.

CAPIT. VIII.

De

Tutela.

§ 1. Patriæ potestati ad eundem finem in subsidium
venit potestas (1) præceptorū, quos ideò parentibus con-
jungit XENOPHON *in orat. ad milites:* ἐν μὲν ἐπὶ ἀγαθῶ ἐκεί-
λαισα ἴνα, ἀξιώ τ' ἐτεχέειν δίκην, οἷαν καὶ γυνεὶς υἱοῖς καὶ διδάσκαλοι
παισὶ. *Si quem, ut prodessem, verberavi, pœnam debere me profite-
or, qualem parentes filiis & magistri discipulis* Conf. GROT. *lib. 2.
de jur. bell. & pac. cap. 2. n. 10.*

§. 2. (2) Potestas tutorum, seu tutelæ, quam rectè de-
finit SERVIVS dialecticæ artis peritissimus *in l. 1. pr. ff. de tut.*
quod sit *vis & potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ata-
rem se ipsum defendere nequit, jure civili data ac permessa.*

§. 3. Causa tutelæ est lex, & quidem vel immediatè,
vel

vel mediatè; Vnde ipsa quoq; tutela alia legitima est, quam Lex iis defert, quos ad successionem pupilli ab intestato vocavit §. un. *Inst. de legit. patron. tut. alia testamentaria*, quando permittente lege paterfam. liberis suis, quos in potestate habet, sive institutis, sive exheredatis testamento tutorem dat, §. 3. *Inst. l. 3. & 4 ff. de test. tut.* Atque hæc tutela si vel spes ejus saltem supersit, §. 1. *Inst. de Attil. tut.* ob judicium patris præfertur legitimæ, unde ei quoque propius accedere illa, quam judicium testatoris, qui impuberem non pariter in potestate habuit, secutus Magistratus sive ex inquisitione sive citra inquisitionem confirmavit §. ult. *Inst. de tut. l. 1. & passim ff. de confirm. tut.* Non movent in contrariū adducta ab UNGEPAVERO, *Exercit. Justin. 4. qv. 2.* Alia deniq; dativa, quam Magistratus ex potestate sibi specialiter à lege tributa in subsidium constituit §. 4. *Inst. de tut. pr. & pass. Inst. de Attil. tut. l. 6. §. 1. ff. de tut. tit. ff. de tut. & cur. dat. vid. JACOB. GOTHOFRED. lib. singulari Animadvers. cap. 4.*

§. 4. Hujus status subjectum ab una parte quoad potentiam activam est tutor, quem oportet esse civem Romanum, cum tutela pariter, ac patria potestas sit Romanorum civium propria; & cum patriæ potestati surrogaretur *l. ult. pr. C. de cur. fur.* hinc factum esse puto, ut foeminae ejus existimarentur incapaces; à qua regula Impp. Constitutionibus exempta mater & avia, si SCto & secundis nuptiis renunciaverit *l. 2. & seq. C. quand. mul. offic. tut. Nov. 22. c. 46. Nov. 94. c. 4. Nov. 118. c. 5. PETR. HEIG. part. 2. Q. 2. illustr. 13.* Sed nūquid ob secundas nuptias destituta liberorū tutela illis iterum solutis hanc recipere poterit? Vid. negativam non improbabiler defendentem subtilis ingenii ICrum Hispanum EERDIN. ARIAM de MESA, *lib. 2. Var. Resolut. cap. 25.* Coeterum de jure Civili debitor vel creditor pupilli

ejus

eius quidē testamentarius, sed non dativus esse tutor potest, de cuius rei ratione vid. *Nov. 72. c. 1.* & JACOB. AVG. THUAN. *Histor. lib. 23. fol. m. 611. B.* exceptis personis illustribus, ita consulente Scabinatu Lipsiensi apud CARPZ. *part. 2. Decis. illustr. 119.* debitoq; notorio, Id. CARPZOV. *part. 2. Const. 11. Def. 19. Et lib. 5. Resp. Elect. 87. Add. MATTH. BERLICH. part. decis. 2. aur. 257. Jeqq.* Ab altera parte & ratione potentia passivæ subjectum est pupillus, sui juris, utriusque sexus, ob ætatis infirmitatem. vid. JAC. MÆSTERT. *lib. 2. de just. l. Roman. dub. 16.* Optimè SENECA, *lib. 2. de ira, cap. 21. pupillis quo plus licet, corruptior animus est.*

§. 5. Finis hujus Status est salus, indemnitas, rectaque educatio pupilli; unde tutela respectu tutoris merum onus, quod tamen & inviti suscipere coguntur, ni excusationem à lege habeant *tot. tit. ff. Et C. de excusat.* Pro obtinendo autē hoc fine vi status pupillus obligatur ad reverentiam & obsequium tutori præstandum in iis omnibus, quæ ad hunc finē respectum habent, nec dubito, in subsidium contra immorigerum tutori modicam cōercitionem competere. Non autem pariter ob statum, sed vi quasi contractus, pupillus etiā obligatur ad indemnitatem tutori præstandam, si quid in commodum pupilli impendit *l. 3. C. b. t.* Contra tutor pupillo vi status obstrictus censetur ad ejus utilitates quoquo modo promovendas, & principaliter quidem ipsius personæ, per consequentiam verò & bonorum; in quo præcipuè à Curatore differt, qui principaliter bonis & negotiis administrandis solet constitui, non tantum propter ætatem, sed ob alia quoque justa impedimenta, *l. 6. §. 4. ff. de tutel. l. 1. pr. Et t. ff. de curat. fur.* Continet autem intra terminos officii sui tutorē partim actio imminens tutelæ, *l. 4. ff. de tut. Et rat. distrab.* partim accusatio suspecti ac metus infamiae §. 2. & 3. *Inst. de suspect. tut.* Finitur denique hic status iisdem modis, quibus ipsa tutela, quos quia recensere & exponere ob tēpus non licet, videas quæso *in tit. Inst. quib. mod. tut. fin. ibiq; comm. I Consultissimi ARN.*

YINNIL.

F

CAPVT

42.
CAPUT IX.

De
Statu herili.

§.1. Status herilis est qualitas moralis personarum, ex societate herili immediatè resultans, qua servus domini potestati subicitur.

§.2. Causa quoad actum essentiaè est jus Gentium ad spe perpetui obsequii mitigandam victorum ferociam §.3. *Inst. de jur. personar.* JOSEPH, *lib.9. Antiq. Jud. c.2.* HUG, GROTIUS *lib.2. de j. bell. & pac. c.24. n.6. & lib.3. c.4. n.10.* quoad actum verò existentiaè partim jus Gentium, partim civile §.4. *Inst. eod.* Quoad jus Gentium causa proxima est vel captivitas, si quis bello justo seu solenni ab hoste capiatur, vel nativitas, si ex ancilla quis nascatur *d. §.4.* ob rationes ab eodem GROTIUS, *lib.2. cap.5. n.29.* qualem cunque etiam habuerit patrem, cum extra justas nuptias, quales nullæ cum ancilla, matrem sequantur liberi, *l.ii. ff. de stat. homin.* Quoad jus verò Civile causa proxima est partim ingratitude liberti, partim cōsensus in venditione sui pretii participandi causa *d. §.4.* non vi venditionis per se, quæ nulla jure Civili, sed vi constitutionis pœnalis, ad compescendam fraudem: partim aliaè insuper, quas vid. ap. JOS. MERCER. *lib.1. opinion. c.9.*

§.3. Finis est utilitas rei familiaris, ad quam promovendam dominus servo ceu instrumento utitur, prout docet ARISTOT. *lib.1. Polit. & Oecon.*

§.4. Alia autem ex hoc Statu oritur obligatio secundum jus naturæ, alia secundum jus Gentium & Civile. jure Gentium & vetustiori civili Rom. cum servi pro nullis & mortuis haberentur, omnia impunè domino in servum licebāt, unde huic ad nihil ille censebatur obstrictus §.1. *Inst. de his qui sui vel alien. jur.* GROTIUS *lib.3. cap.4. n.10.* Sed posteriores constitutiones

195

43.

tutiones infinitam illam dominorum in servos licentiam æquitatis ac naturalis juris repagulis iterum cöercuerunt, ut sine gravi causa non amplius licuerit in mancipia sævire, variis contra hanc rem remediis introductis. vid. §. ult. Inst. de his qui sui vel al. jur. pr. & §. 11. Inst. de L. Aquil. l. 1. §. 2. l. 11. §. 1. ff. ad L. Cornel. de sicar. Qua moderatione effectum est, ut jam propter Statum non tantum servo Dominus ceu instrumēto suo ad quemlibet, rei præsertim familiaris, usū, honestum tamē ac possibilem uti, ac immorigerum domestica cöercitione, etiam virgis, flagellis, carcere emendare posset §. 1. in fin. Inst. d. t. l. un. C. de emendat. servor. sed & dominus invicem servo ad defensionem & alimenta necessaria obstrictus intelligeretur. Conf. GROTIUS, lib. 3. cap. 14. n. 2.

§. 5. Finiebatur hic Status manumissione seu solutione dominicæ potestatis, quæ contingebat vel beneficio Legis præmii loco, aut in odium domini vid. tit. ff. qui sin. manum. ad lib. perv. t. t. C. pro quib. caus. serv. pro præm. vel beneficio domini, idq; vel mediata, si ea lege alienasset, ut certo tēpore elapso vel conditione quadā existente manumitteretur, quem statuliberum vocabant, l. 1. pr. & t. t. ff. de statul. l. ult. ff. si ex nox. caus. vel immediata, & vel expressè tam ultima voluntate §. 1. Inst. de libertin. l. 120. ff. de V. S. quam actu inter vivos, sive publico ac solenni t. t. ff. & C. de manum. vind. t. t. C. de his, qui in Eccles. manum. sive privato d. §. 1. D. AUGUSTIN, serm. de comm. vita cleric. vel tacitè seu facto vid. §. ult. Inst. de adopt. l. 1. §. 5. & seq. C. de lat. lib. tol.

CAPIT X.

De

Statibus herili analogicis.

§. 1. Quamvis inter Christianos nullus amplius sit servitutis usus, SIM. à GRÖNEWEGEN LL. abrog. ad tit. Inst. de his qui sui vel al. jur. n. 3: leges tamen de servis Jure Rom. latæ ideo

F 2

non



non prorsus inutiles, atque ea propter contemnendæ sunt, quod adhuc quædam hominum diversæ conditiones antiquæ servili non nihil similes supersint, quibus istæ leges commoda interpretatione sæpe utiliter applicantur, prout ejus rei aliquot specimina exhibet JOH. HERM. STAMM, *doctissimo tract. de servit. person. lib. 1. tit. 1. cap. 1. & seqq.*

§. 2. Deprehendimus autem analogiam quandam hujus status partim in veteri adhuc, partim in præsentis nostræ Reipubl. quam solis nominibus distingvemus, cum tempus diffusiores tractationem haud permittat. Olim veteris status vestigia quasi conspiciébatur adhuc in libertis ob jus patronatus, quod illos ad obsequiũ & operas patrono aut ejus filiis præstandas adstringebat *l. 2. §. 1. t. ff. de obseq. par. aut patr. prest. l. 1. §. 1. t. ff. de oper. lib.* Deinde cum servis magnam similitudinẽ habebant coloni, non, qui simpliciter agros colebant, quos liberos colonos vocat *l. 1. C. de præd. Tamiac.* aut, qui aliena prædia quocunq; excolebant titulo, constituti sub dominis *ὀπο̄ θεσποτεϊαν̄ τελόντες*, ut loquitur *Nov. 80. cap. 2.* sed qui conditionem debebant genitalem solo propter agriculturam sub domino possessorum; quomodo definiuntur à D. AUGUSTINO, *lib. 10. de civit. Dei, cap. 1.* Hi cum servis pariter & libertis opponerentur *l. un. C. de colon. Illyr.* & conditione viderentur ingenui, *l. un. C. de colon. Thracens.* cumque manumissio in eos nõ caderet, justasq; nuptias celebrarent, *l. 21. in. fin. l. ult. C. de agric. & cens.* non servi quidẽ propriè fuerunt, servis tamen non multum absimiles, *l. 2. C. in quib. caus. col. cens.* & terræ illius, cui nati erant, servi *d. l. un. C. de colon. Thracens.* neq; adeò sui juris existimabantur *l. 16. §. 1. ult. C. de agricol. terris inservientes d. l. un. C. de colon. Illyr.* adscripti prædiis seu censibus, unde Adscriptiti dicti. De quibus plura vide in *absolutissimis commentariis* JACOB. GOTHOFREDI, *ad C. Theodos. Tom. 1. fol. 450. seqq.* & ap. FRIDER. HVSAN. *tract. de homin. propr. cap. 2. n. 9. seqq.* STAMM, *d. l. lib. 3. cap. 30.*

§.3. Ut verò ab antiquis servis ad præsentis Monachos, à libertis ad modernos Vasallos argumentum ducit NICOL. EVERHARD à MIDDELBURG. *in Topic. legal. loc. 35. & 36.* ita cū his adscriptitiis observante ANDREA KNICHEN *de pact. invest. part. 2. c. 3. n. 3.* & HUSANO *d. loc. in ple-*risque pari passu ambulant, quos homines proprios hodiè appellamus, *Leibeigene* / antiquis Saxonibus *Lazzen* vel *Lasse* dictos. *Gloss. ad lib. 2. des Sächsischen Landrechts. art. 59.* *Wer im Sachsenrecht zu Zinsguth geböhren ist / der ist ein Lasse / der mag sich des Guths nicht ohne des Herren willen un- terziehen. Die seynd / die unsere Eltern lieffen / da sie die Leut bezwungen auff bescheid.* Conf. GERH. FELTMAN. *tr. de jur. in re & ad rem cap. 5. n. 12. seqq. & seq. cap. 6.* Horum statum appositiſſimè describit STAMM. *d. loc. lib. 3. cap. 1. n. 14.* quod sit juris vinculum, quo quis cum aggravatione sui liberi status alteri ad operas, jus caduci, census, & alia de consuetudine loci pacto ve recepta onera præstanda ex causa legitima adstringitur. De his causis, ut & variis hujus conditionis effectibus vid. laud. HVSAN. *d. loc. cap. 3. & seqq.* STAMM *d. lib. 3. cap. 5. & seqq.* qui & *cap. 22. n. 2.* in Hassia indubitatum ejus signum die *Leibeth* oder *Leibhuner* esse testatur. Est & analogia quædam status herilis, quamvis paulò remotior inter dominum & famulum, ut apparet ex iis, quæ de famulitii effectibus prolixè tractat idem STAMMIUS *lib. 2. cap. 2. 4. & seqq.* Nos misso statu privato, publicum quoque per transennam inspiciamus.

CAPUT XI.

De

Statu publico proprio seu vero.

§.1. Hunc dicimus esse qualitatem personarum ex societate civili resultantē, qua subditi summæ civilis potestatis imperio sive mediatè, sive immediatè subjiciuntur. §.2.

§.2. Subjectionis hujus causa proxima respectu subditorum vel voluntaria est, vel invita; huc refer vim bellicam, qua armis subactus populus jure victoriae victoris imperio cedit. Quam justitia non carere, si justa belli causa fuit, omnino existimo cum HUG. GROTIUS, lib. 1. de j. B. & P. cap. 3. n. 8. Illa verò est libera populi consociatio ac imperii publici cum declaratione obsequii sui constitutio, secundum quam forma cujusque Reipubl. dijudicari debet. Potest enim populus vel absolute se alterius potestati subicere, ne minima quidem libertatis vel specie seu umbra sibi relicta, cujusmodi voluntatis causas impellentes ibid. exponit GROTIUS, vel ad certum modum expressa conventionem restringere formam ac vim publici regiminis, adque ejus religiosam observationem Principem juramento, aliove pacto obstringere. Quales restrictiones Legum fundamentalium nomine modernis politicis veniunt. Quae tamen non statim aut Principem semper populo subjiciunt, aut efficiunt, ut huic summa & absoluta sua non constet Majestas, quasi reali populi Majestati obnoxia vid. GROTIUS, d. 1. n. 16. THEOD. GRASWINCKEL, de j. Maj. c. 10. seq. *Quemadmodum enim, sunt verba Consultissimi Dn. STRAUCHII supra cit. diff. de const. PP. n. 3. et formam statuæ non per impressionem, ut cera, sed liquefactionem recipit, nihilominus tamen ad formam se habet merè passive; ita et si populus regimini formam eligat, formam tamen ipsam & activam regendi potestatem hoc ipso nec ipse recipit, nec subjecto regenti confert, sed declarat duntaxat ac circumscribit potentiam passivam sui regendi.*

§.3. Subjectum hujus Status ab una parte ac ratione potentiae activae vel unus est, vel pauciores quidam, vel plurimi. ARISTOTELIS lib. 3. politic. c. 7. *Cunctas nationes, inquit TACITUS lib. 3. Annal. c. 33. & urbes populus, aut primores, aut singuli regunt.* Ubi cave, sub populo universam hominum in aliqua civitate multitudinem intelligas. Nulla enim Respubl. sunt verba GROTIUS, d. cap. 3. n. 8. *adeò reperta est popularis, in qua non aliqui aut valde inopes, aut externi* (quales apud Athenienses *μετοικοι*, de quibus vid. LIB.

BA.

BARON. ENENCKEL. *annot. ad Thucyd. p. m. 592.*) cum verò & fœmina & adolescentes à deliberationibus publicis arceantur. Populus ergo hic universitatem civium adæquatè designat. Quamvis verò multi dubitaverint, quos inter præcipuè BODINUS *lib. 2. de Repub. c. 1.* & passim BOXHORN. an ea quoq; possit institui publici Regiminis forma, qua Majestas secundum partes potestativas divisa diversis subjectis insit, nos tamè fieri posse, quod factū est, planè nō dubitam⁹. Vide mixtarū ejusmodi Rerump. exempla apud sæpi⁹ quidē, sed nondum satis laudatum GROTIUS. *d. cap. 3. n. 17. seqq.* Conf. ARNISE. *lib. 2. relect. pol. de Republ. c. 6. sect. 1. seq.* Illud heic observandū, ubi penes plures summa Reipub. est potestas, subjectū ejus non esse singulos, qui, qua tales, verè subditi sunt, pariter ac cœteri, qui ad publicas consultationes non vocantur, civitatis imperio obnoxii; quorū ideò prærogativa in eo præcisè consistit, ut una cum cœteris juxta votorum pluralitatē decernere possint, quod singulos cœterosque subditos obliget. Cives ergò, qua singuli, subditi sunt, qua mēbra collegii imperativi, cives. Quibus ad hypothesein translatis facilimo negotio adparebit, nō adeò sibi constare communem juris publ. Interpretū opinionem, qua tā securè ac intrepidè Imperio nostro Rom. Germanico formam Reipubl. ex Monarchia & Aristocratia temperatam tribuunt. Quod si ita se haberet, necesse esset, quædam Majestatis jura Statuū collegiis ita competere, ut ratione eorum Sacratissimus Imperator, una cum ipsis, Civitatis Germaniæ civis, separatim verò spectatus subditus eorū foret, ac unitis eorū suffragiis cogi ac vinci posset; Cui tamè rei ipsa Comitiorū Germaniæq; praxis ac indubitata Imperialia jura reclamant. Quid ergò si defendam, subjectū Majestatis in universo Imperio adæquatū esse Imperatorē, qui monarchicè imperet, sed secundū leges tamen Imperii, h. e. in plerisq; negotiis ita, ut nihil sine Statuū prævia deliberatione & consensu statuat. Quod à natura regni legitimi, prout

vocatur

catur ARIST. alienū nō esse, haud agrè fatebitur, qui intimius Philosophū inspexerit; Quibus nihili est, quod sequiori affectu corruptus opposuit personatus ille HIPPOLYTUS à LAPIDE, contra Reinkingiū disputans. Singulos ergo Statuum non secus, ac cæteros in orbe Rom. Germāico viventes, Imperatoris subditos, Cives verò & Status ob jō suffragii, quod habēt in Comitiiis, rectissimè dicemus. Atq; hæc totius Imperii, quā talis, Majestas. Conf. omnino ANDR. KNICH. *de j. ter. c. 1. n. 684. seq.* Sed singuli tamē Status ex singulari Reip. nostræ constitutione in suo quisq; territorio, veluti peculiari quadā Repub. analogū quid habent Majestatis, certo tamen modo à Majestate Imperii per investituram Feudi nomine ac jure dependens, quo jure proprio pleraq; summi Imperii jura, quæ ad differentiam veræ Majestatis superioritatis territorialis jura adpellantur, Germ. *die hohe Landes, oder Landesfürstl. Obrigfeit* ad exerceat, quam quæ pertineant, longa serie recensentur ab eodem KNICHENIO, *d. tr. cap. 2. § 3. per tot.*

§. 4. Ab altera parte subjectū hujus status ejusdemq; potentia passivæ sunt subditi, quos ratione dictæ superioritatis præcipuè facit homagiū, *die Landshuldigūg* oder *Erbspflicht* quod definit GEORG. RITTER, *in tr. meth. de homag. sub. c. 1. n. 21.* quod sit juris vinculū, quo Dominus territorii sibi subditos ad fidelitatē & obedientiā adstringit, Cujus intuitu & ipse fidus esse jubetur. Reliqua huc pertinentia vide sis apud laudatos Autores. Adde *dissert. de j. subj.* quæ tertia est in *volum. 1. Exercitionū* ab AHASY. FRITSCHIO editarum.

CAPUT ULT.

Superest Status publico analogicus, quem in genere esse existimo eorū, qui inæquale fœdus pepigerunt, ut solent ferè victor & victor, potentior & impotentior. vid. GROT. *lib. 2. cap. 15. n. 7.* præcipuè verò *præced. lib. 1. c. 3. n. 21.* In specie autem huc pertinet Status Clientelaris, qui est inter protectorē & clientem, de quo absolutissimo opere abunde egit Consiliarius quondam Archi-Ducalis, MARTIN. MARGERVS à Schönberg/ cui titulum fecit *de Advocatia Armata, sive clientelari patv onorum iure et c.* cujus synopsis hîc exhibere animo erat, sed tempore penitus exclusus alii tempori ac majori otio hæc reservo. His interim contentus vive, B. L. & vale.

D. T. O. M. L. E. G. A.



EST PERSONARUM *licitus de Ju-*
re respectus

Et non. Qui sit, vel non sit; u-
trumque doces.

Distinxisse STATUS, est juste DI-
STRIBUENTIS

Dum COMMUTANTEM res ma-
gis ipsa trahit.

Pereximio Dn. Doctorando
Imq; gratul.

E. Leichnerus, D. PP. Phys.
Ord. h. t. Acad. Rector.

Nικολέων *te palma manet, galeaque* **VVIL-**
HELMUM

Utra magis? Galea hæc? vel tibi palma
placet?

) (

Hanc

Hanc etenim **VVANFRIDA** rogat, quia
tempora *pacis*,
Queis meritò pones *pacis* amans *Galeas*
Sic decet, ut *palmam* post prælia postque la-
bores

Numina concedant, dentque labore frui.

*Prænobili Domino Nicolao Wilhelmo Waltero Wan-
fridano, pro laurea Doctorali in utroque jure
adipiscenda victoriosè disputanti,
posuis*

Johannes Daniel Gudentus, S.S. Th. D.
ejusdemque Facultatis Decanus.

R itè Statum statuis. Statuet, statuo, Status
iste

*Et Patriæ & fama stamina longa Tua.
Cresce statu stabili, numerosa cresce salute,
Te status excipiat, deficiente statu!*

Nobili & Clar. Dn. Doctorando hisce ex
animo gratulatur

Johann-Hermannus à Sode, J. U. D.
Consiliar. Electoral. Moguntin. Antecess.
Assesf. ac Colleg. Saxonie, in alma hac
HIERANA Decanus.

Nunc

19
Nunc Status & ratio toto dominantur in
orbe,

Si verum est dictum, fit ratione status.

*Ergo dum doctè defendis quid Status hic sit,
Hinc tibi felicem comprecor esse Statum.*

Ita doctissimo Domino Candidato de Statu
disputanti animitus applaudit

Joannes Andreas Røeder, J. U. D. Consi-
liarius Electoralis Moguntinus, Facultatis juri-
dicæ nec non judicii Urbani & Præfectu-
ræ Erfurtensis Assessor.

Nobili & Clarissimo

**Dn. NICOLAO WILHEL-
MO VVALTERO, J. U. Doctorando**
Dignissimo, hætenus Inquilino ac Commen-
sali suo charissimo

Sicut sedatis requiescit nauta procellis
Atque ut speratas tollit arator opes;
Sic etiam meriti Tibi decernuntur honores:

Ne Te sudoris poenituisse queat.

*Festinanti Calamo gratulabundus
scripsit*

JOHAN. SCHMIDELIUS D.
& Prof. Publ.

X 2

WAL-

VALTERE, ingenii, dum non sine laude
tueris

Scripta, probas cunctis floridioris opes,
A Sacra Eunomie concessa Licentia Juris:

Sic merito Clarus qui quoq; DOCTOR erit.
Det, rogo, continuos ut honor Tibi partus honores
Conferat, & patriæ commoda mille, DEUS.

*Clariss. Dn. Doctorando, Fautori & Amico
honoratissimo ominatur*

Johann Jacob Nehefeld D. & Territorialis
Erffortensis Medicus Ordinarius.

Nobilissimo atque Clarissimo

DN.

NICOLAO VVILHELMO VVALTERO

J. U. Doctorando dignissimo
Conterraneo ac amico suo integerrimo

Cum

Summos in utroq; jure honores per publicam eamq;
solennem disputationem quæreret

Pauca hæc gratulabundus posuit

Luxurient alii in laudes, & carmine lecto
Innitident aulus, Dulcis Amice, Tuos:

Me, quem Melpomene jam pridem averfa tuetur,
Officium paucis deposuisse juvat.

Applaudo coeptis, feliciter omnia cedant;

Profit certamen, profit honor reliquus.

Jacob VVilhelm Vckermann.

J. U. Doctorand,

Votis Fautorum conjungo prospera vota,
Florescas, vigeas, prosperet acta Deus.

*Paucula hæc ex singulari amicitia affectu nobilissimo
Dn. Doctorando, Consalino suo svavissimo pro-
perante scalamo adscribere voluit*

Jobst Herman Krecte / J. U. Doctorand.

Non etenim penitus vana est sententia; multi
Quam celebrant populi; debentur digna labore
Præmia; præstanti præstantia, vilia vili.
Egregius WALTERE tuus labor est, & acutum
Hoc opus est, personarum de jure relatum,
Quod tibi pro certo præstantia dona rependet;
His de compleri faveo, quoque Nestoris annos
Apprecor ex animo. Latere, diuque valeto.

Hiscæ clarissimo Dn. Doctorando ex corde

sincero accinebat

Johannes Christianus Sack, J. U. Doctorand.

Romani veteres virtuti, sic & honori
Erexere sacras, splendida fana, domos.
Fana fuere duo (res admiranda) sed unus
Introitus, binis ædibus una foris
Prisca quibus voluit nos informare vetustas
Unam virtutis laudis & esse viam;
Nec nisi per multos sudores atque labores
Ad sacra difficiles templa patere aditus.
Id prudens trutina librans WALTERE fideli
(Laudis dum placuit recta subire sacra)
Strenuus Æolidæ voluisti volvere saxum
Celsaque virtutis templa subire prius.
Hinc tibi laurigeros Academia nostra triumphos
Spondet & ASTRÆÆ præmia summa DEÆ.

La-

Lator io! volucris tua quod petat aethera gressu
Gloria, & ingenio surgat ovetque suo,
Succedat delatus honor feliciter, atque
Adquirat nomen mox Tibi Fama novum.
Et, si conjugii placeat Tibi forte voluptas
Conscendat thalamos optima sponsa tuos.

ABRAHAM BESSL, Minda-Westphalus.

*Conciliat sibi multorum Tua Candida virtus
Pectora; solus ego carmina nulla darem?
Postulat hoc aliter sinceri munus amici,
Hoc suadet pietas, imperat atque jubet:
Supremos igitur capias TIBI IVRISHONORES,
Atque TVVM cingat mitis oliva CAPVT.*

Joh. Henr. Meyer Hoya Luneburg J. St.

*N*escio quid faciam? faciam tibi Carmen honoris
Hoc tibi sume precor, carmen honoris habes,
Levin, Frideric. Sack, Minda
Westphalus J. U. Stud.

*Q*uod Calamo WALTERE, dotes confinis recti,
Ingenii laus illa tui satis esse videtur.
At, quod in offenso vita, morumque tenore,
Te simul exemplum praebeas rectique bonique
Hoc WALTERE tuum doctus est, haec gloria: Vive.

Johannes Henricus Sack. Minda Westphalus.

*E*cce tibi prodit mira brevitate libellus,
Quaeque tibi profert, Lector amande tene.
Edocet ille Status hominis discernere monstrans
quid sit liber honos, quid famulare jugum.

Hac

19
Hæc quicunque auctor nobis monumenta relinquis
Egregium docta nomen ab arte feres.

*Clarissimo Dn. Doctorando amico suo plurimum
honorando ita de novis honoribus animo
gratulatur*

Johann Jobst Tegeder LL. Stud.

Summus honor summos in defesso sive labores
Insequitur, datur hinc pulchra corona TIBI
*hec licet exigua, candida tamen mente ad Nobiliss.
ac Clariss. Dn. Doctorandum scribebat*
Caspar Georg de Hanstein Nob. Einfeld.

Rite STATUM tradis Personæ, Walter Amice,
Ut cum sublimi consociere Statu;
Propositum quod grande tuum juvet ipse jehova
Mente bona foveo prospera quæque TIBI
gratulabundus hæc adjicere debuit
Eitel Iustus Vincke Eques Westphal.

Insudans studiis quisquis contendit ad alta
Is debet ad certam cuncta referre metam.
Ast quia per paucis ea meta scopusque manere
Assolet, & cum Tu proximus attigeris,
Tu quoque cum dignos meritis sis WALTER honores,
Nobile jam studii dat tibi GERA decus.
Præmia nec defint doctis quæ laurea donat
Crescat & immensum gloria cœpta precor.

*Hisce gratulabatur animitus Nobil. & Clariss. Viro
Domino Nicolao Wilhelmo Waltero wanfrida
Haso in Augurali disputationi
presidenti*

Joannes Gereon Molitoris SS. Th. Auditor.

Ni-

NICOLAUS GUILHELMUS GVALTER

ἀναγραμματισμὸν

HISN. usu allucet gloria legum?

NObilitat virtus divique scientia juris
Cultorem meritum tollit ad astra poli.
Contestantur enim dicendi juris & æqui
Hoc Dictatores Eunomiæque Patres,
Qui radiant ignes velut inter luna minores
In Regum claris sedibus atque Ducum.
Horum dum fastum regimen juga priscus ut Atlas
Coelica sustentant robore consilii.
Principibus placuisse bonis clarissima laus est
Et jus ex æquo dicere prima salus.

Vendicat ecce sibi clarescens Hasfia * primas,
Utpote quæ Doctos ceu microcosmus alit.
Hinc cum Sixtinis Vultejos vivere cernis,
Orbi qui reliquo commoda multa ferunt,
Horum cultores juris vestigia servant,
Quo dubios casus enucleare sciant.

HISN' USU SPLENDENS ALLUCET GLORIA LEGUM?
En certè summo maectat honore Themis.
Lustrasti quoniam, Gvaltere volumina legum,
Accipis hinc studio præmia digna tuo
Apprecor, ut parti studio Tibi juris honores
Sint insigne lucrum delictumque Patri.

*Hisce perexiguis Nobilissimo & Excellentissimo Dni.
Nicolao Guilhelmo Gualtero J. U. Doctorando
novos honores ἐξ ὅλης τῆς καθεδίας
gratulatur*

**Vid. Magnif. & Excell. D.D.*

Job. Maur. Guden. Programm. intimat.

Johannes Saurman.

F I N I S.

Arzt, Diss, 1670 - 1676


ULB Halle 3
004 326 342



Sl.

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

16715

AUGURALIS

TU

DEO

FICI NOBILIS-
ORUM ORDINIS

PER ANTIQVA
ERAM.

JURE HONORI-
MUNITATIBUS

US
tinendis
VENTILATIONI

LHELMUS

R,
HASSUS.

MEYBALIM,
ASSO,
OELICO

M, DC, LXXI.

S, Acad. Typogr.

7

8

